
NAZIONALE
BIBLIOTECA
CENTRALE V. E. II
ROMA
1
35 G
12

OPERE
ITALIANE E LATINE

DEL CAV.

CLEMENTINO VANNETTI

PUBBLICATE PER CURA

DELL' I. R. ACCADEMIA DI ROVERETO

Prezzo di questo settimo volume

Fogli di stampa N. 21 a
centesimi 20 il foglio. L. 4 . 20
Legatura *gratis*

Austr. L.

Porto e Dazio . . . „

Austr. L.

pari ad Italiane L.

Prezzo dei volumi I. II. III. IV. V.
e VI Austriache. . . L. 24 . —


NAZIONALE
BIBLIOTECA
VITT. EMANUELE
1
35 -G
12
ROMA

ANN

OP

VOL. V

VENEZIA
183



OPERE
ITALIANE E LATINE

DEL CAV.

CLEMENTINO VANNETTI

ROVERETANO



VOL. VII.

VENEZIA
DALLA TIPOGRAFIA DI ALVISOPOLI
E ROVERETO PRESSO LUIGI JACOB
MDCCCXXXI

PRAEFATIO

Post varios casus, et inopinatas rerum conversiones, quarum enarratio longum nimis negotium prorsusque vanum lectori facesseret, latina quoque Clem. Vannettii scripta in lucem prodeunt duobus voluminibus collecta; quae, cum italicis sex jam editis, operum ejus corpus absolvunt. Finem itaque imposuimus editioni rerum ejus italicarum; non earum quidem, quae vel calamo indulgendo, vel ingenii tantum exercitandi gratia, ut saepe monuimus, exaravit; sed rerum quae vel ipse libens se vivo edidisset, vel nos ipsi confisi sumus fore ut litteratis hominibus grata acciderent et accepta. Jam vero, si iidem litterati homines, prout nobis quotidie renuntiatur, quae Vir Clariss. italico sermone scripsit, laeti exceperunt, ob id potissimum quod puritate linguae atque sermonis elegantia summopere niteant; haec quoque latine scripta libenti animo ipsi recipient, quippe quae puritatem atque elegantiam longe majorem undequaque ita praeseferant; ut non sit dubium, quin vir ille qui italicis elegantiis fuit doctus, doctissimus latinis extiterit. Quam

quidem scribendi rationem, ut ipse saepissime professus est, antiquorum magistrorum exemplaria diurna nocturnaque manu versando, cum sit consequutus; nos, ejus quoque exemplo excitati, eorundem magistrorum lectionem et cum iisdem conversationem (habito tamen delectu) studiosae juventuti omnino necessariam profitemur, eidemque ex animo et quasi ex officio eam commendandam esse censemus.

Quamquam autem et latina Vannetti opera, multis abhinc annis, evulgata fuerint; tamen, perinde ac si edita non essent, hac nostra aetate videbantur. Cum enim vel in Ephemeridibus, vel hic atque illic variis in libris laterent, fiebat, ut viros quoque litterarum diligentissimos effugerent, et indigna quadam oblivione premerentur.

Atque ut de singulis pauca attingamus, primus occurrit *Liber memorialis de Caleostro.* Anno ipso MDCCLXXXVIII. quo erat Caleoster Roboreti, Vannettius bis in hebdomade pro more suo scribebat Josepho Pederzanio Sacerd. Rob. familiarissimo suo, ac Sodalitatis nostrae Socio tunc temporis Veronae degenti, omnia quae in dies singulos in urbe nostra de viro illo ferebantur; atque animi causa, et ut vivius *Asinum sub spolio leonis* detegeret, ea in hisce litteris

scribendi ratione usus est, quae orientalis appellatur, quaeque praecipue in Codice Evangelii Sancti nunc legitur. Rem acu omnino tetigit; lectoresque mirum in modum delectavit et ita allexit, ut compactum ex hisce litteris commentarium habere summa cupiditate expetierint. Amicorum itaque voluntati obsequutus librum edidit. Brevi tempore per totam praesertim Italiam nostram divulgatus est, ac tam libenti animo exceptus, ut multis in urbibus, atque adeo Romae praeclara de eo laudum testimonia prodierint. Attamen non defuere, qui ob dicendi genus quasi sacrum ipsi succenserent; iidemque parvi facientes, quae in ipsius libri Cap. xvi. scripserat ad stili propugnationem, eundem in Synodum Tridentinam peccantem privatis litteris redarguerent. Eorum igitur animadversionibus Vannettius, pro ea, quam semper diligentissime coluit, religione, et pro sua erga Ecclesiae decreta reverentia, commotus, edita epistola factum purgare conatus est. Verum quamquam firmis rationibus fortasse ostenderet, se id scribendi genus aequissimo jure usurpasse, non tamen effecit, ut piorum quorundam hominum aures minus eo stilo offenderentur. Qua de causa ne iterum in lucem commentarium hoc ederemus, nonnulli quidem suadebant: at vero quid proderat, hoc nos

rejicere vel occultare, quum alii, prout nobis notum erat, incomposita quadam ratione, ejusdem editionem pararent? Idcirco in eorum ivimus sententiam, qui auctores nobis fuere, ut hunc quoque libellum (neque enim hic, atque adeo nullus Vannettii liber a Pontifice Maximo notatus fuit, et inter noxios recensitus) in vulgus emitteremus; eidem tamen defensione illa adjecta, quae ab ipso, ut diximus, sermone italico scripta fuerat, quaeque novum idemque perspicuum Religionis ejus praebet testimonium.

Caleostrum excipiunt Commentaria quinque; scilicet de M. T. Cicerone, de Hieronymo Fedrigotto, de Adamo Chiusolo, de Joanne Maria Deblasio, et de Alexandro Zorzio. Post haec venit Epistola de M. V. Martialis Poesi; tum Commentariolum in Scen. III. Actus I. Heautontimor. P. Terentii; subinde Epistola de Virgilii et Ovidii Orpheo; tandem Sermones habiti ab ipso in litterariis nostris conventibus, quum Sodalitatis esset adjutor et scriba; denique Inscriptiones, inter quas Elogia quaedam huic scriptionis generi pertinentia.

In altero Volumine sunt Commentaria duo, nempe de Julio Turratto, et de Joanne Baptista Graserio; post haec venit Epistola ad Alexandrum Zorzium de usu latinae linguae; majorem vero Voluminis locum obtinent latinae

Epistolae; eaedem autem illae sunt, quas Vannettius ipse Anno MDCCXCV. Ticini in vulgus emisit; nisi quod nonnullis rejectis, ne Volumina octavum excederent numerum, praecipuas ex iis, quas Alex. Zorzio dedit, inseruimus, paucas quoque ineditas adjecimus; omnesque, historiae commodo, pro ejus temporis ratione quo singulae scriptae fuerunt, digessimus.

Porro haec quae supra memoravimus, atque ea, quae sex Voluminibus italicis comprehenduntur, a Vannettio nostro scripta fuisse recognoscimus; eademque, ut ipsius voluntati, quam probe novimus, obsequeremur, nec non dignitati ac religioni ejus consuleremus, edere in lucem decrevimus. Si qui autem fuere, qui pauca quaedam ex Volumine I. luce minus digna deprehenderint, eorumque causa cujusdam nobis culpae notam inusserint (*), ab iisdem postulamus, ut ea aequo perpendant animo quae de hisce rebus (quas quidem divulgare variis ex causis aegre compulsi fuimus) ad omnem culpam diluendam in eodem Volumine praefati sumus.

His itaque voluminibus omnino octo in lucem edimus ea, quae viro huic praestantissimo

(*) Vide Ephemerides Mutinenses anni MDCCCXXIX. in Vita Caroli Rosminii Patricii Roboretani.

nec mors eripere, nec fortuna unquam violare potuit, quaeque eidem hoc conferunt, ut etiamnum vivat, et vitam vivat inter homines diuturnissimam. Quo quidem edendi officio libenter perfuncti sumus, tum ut litterati homines, qui acerbissimum Vannettii interitum graviter atque adeo molestissime tulerant, de hoc viro haberent quidquid vel ad leniendum dolorem, vel ad jacturam quodam modo sarciendam prodesse potest; tum demum ut studiosis adolescentibus nostrae aetatis atque futurae, et litterarum dignitati prospiceremus.

ROBORETI, M. AVGVSTO, A. C. MDCCCXXXI.

LIBER

MEMORIALIS

DE CALEOSTRO

QUUM ESSET ROBORETI

BIBLIOPOLA LECTORI S. D.

Varie de hoc libello, statim ac calamo etiam scriptus apparuit, existimatum est, aliis aliter, prout cujusque captus, aut studium erat, interpretantibus. Tu vero, Lector, ne erres, scito, nihil aliud esse, nisi eorum, quae super Caleostro Roboreti acta sunt, germanam et simplicem narrationem. Nam quod ad genus orationis attinet ei non dissimile, quod in historicis sacris videmus; id auctor vel ingenii experiendi causa sequutus est (liberum ratus sermonem fingere ut velis, modo rerum rationem habeas), vel etiam argumento adductus, quod de eo homine scriberet, qui velut alter hominum servator prope divinos honores plerisque affectare videretur. Verum quoquo consilio id fecit, certe fecit bono et honesto; quod ipse adeo professus est in extremo capite quintodecimo. Itaque etiam complures exstiterunt, iique cum docti, tum christianae disciplinae reverentissimi, qui scriptoris voluntatem assequuti, rem totam summis laudibus extulerunt. Nunc autem quod opusculum

animi gratia illud quidem, non edendi, exaratum optima fide publicamus; profecto et multorum cupiditati satis facimus, neque ingratum id ipsi auctori fore arbitramur ob eam causam, quod innumera ejus exempla per Italiam, atque adeo trans alpes circumferuntur, in quibus multa mendose descripta sunt, quaedam aliter atque ipse mox retractans correxit, aliqua etiam ex lubidine vel inserta, vel dempta. Quae omnia diligens editio abolebit; simul exscribentium licentiae finem ponet, quae nunquam sine periculo est. Vale.

Sine odio et amore.
Infra cap. xv.

Anno octavo imperii Josephi Caesaris ingressus Caleoster Roboretum, commoratus est ibi. Et qui scribit, quum pertransiret, vidit illum per fenestram diversorii, et uxor ejus erat cum eo, hora a meridie quasi septima. Et omnis populus suspiciebat eum. Et quidam quidem dicebant, ipsum esse Antichristum, alii vero Magum, et disputabant ad invicem. Ipse vero deridebat eos dicens, quia quis sim ipse nescio, hoc autem scio quoniam curo aegrotos, consilio juvo ignaros, et erogo argentum pauperibus. Multa scripta sunt de me in vanitate et mendacio, quia nemo scit verum. Oportet autem me mori, et tunc apparebunt quae fecerim, per calamum meum. Et quum facta esset nox, conveniebant illuc multi, et interrogabant eum in multis. Et similiter mane excipiebat omnes consulentes se de morbis eorum. Timebant vero valde. Accesserunt autem ad eum noctu quidam curiosa sectantes, quibus aperuit actus suos: Baptista Nicolai frater, et Aloysius, et alii. Et duxerunt illum in habitaculum conductitium, quod habebat clathros, et aufugit clamans quia carcer Parisiacus est, et noluit habitare. Mansit itaque in diversorio.

II. Et post paucos dies quaerebat conducere domum ad habitandum. Et intravit in domum Festi, et non convenit de pretio inter eos. Venit ergo ad Echaros, et quum placuisset ei domus, rediit ut diceret uxori suae, et constituerent de re ista simul. Et erant adhuc in diversorio. Luce autem facta, erat accipiens

plebem, et medens languoribus eorum. Et accessit ad eum quidam dives nimis, qui processerat in diebus multis, et vexabatur lithiasi, quod interpretatum est calculis. Clamabat autem: Domine, si quid potes, adjuva me. At ille dixit: senex es, et inveteratus morbi istius, et quaeris medicinam? verumtamen redi cras, et faciam tibi sorbitiunculam. Et audiebat omnia haec medicus, qui curaverat eum, et conferebat in sinu suo diligenter. Et quum exissent, testificabatur omnibus quia Caleoster bene loquutus est, et magnificabat eum secundum praecepta doctrinae suae. Et exiit opinio ejus in populum quoniam propheta est, et non accipit pecuniam a quoquam, neque vas, neque vestem; sed nec discernit inter egenum et divitem, thesaurizans sibi corda in auxilio benignitatis suae. Et fiebat concursus, et accipiebant schedulas, et nummos in pharmacea. Erant autem multi quassantes cervices suas, et non credentes donec viderent exitum.

III. Post haec autem factum est; quum ille, qui vexabatur calculis, accepisset sorbitiunculam, egessit magnam vim urinae quasi purulentae, et coepit levari ab infirmitate sua. Et medici mirabantur super hoc vehementer quia scriplum pulveris tantum potuisset, et erant investigantes in scripturis suis. Caleoster autem venit iterum ad Festum, et habitavit in domo ejus. Porro mulier a finibus Veronensium, quae habebat carcinoma circa ubera sua, ducebatur ad illum tremens et ejulans. Et arcessitis medicis, dixit illis Caleoster: videte vos, et judicate. Illi autem quum considerassent, dicebant unanimiter quia vix abscindendo illud salva fieri potest mulier. Respondit Caleoster: ego non mutilo

quemquam, nec veni lacerare homines ferro. Et continuo fecit emplastrum, et dixit mulieri: alline panniculo, et alliga tibi. Quae dixit ei: Domine, non habeo. Conversa autem uxor ejus protulit panniculum novum mundum, et dedit mulieri, et fecit sicut praeceperat ei. At ille dixit: Domine, quandiu manebo in hac civitate, ut me cures, et salva fiam? Respondit Caleoster, et dixit ei: aliquandiu. Dixit mulier; et quomodo possum? manere debeo in hospitio, et aurum, neque argentum non est mihi. Et increpuit eam Caleoster dicens: Abi, manduca, et bibe, ego solvam pro te stabulario. Et exivit mulier de medio illorum cum gaudio, et festinatione magna nimis. Caleoster autem vocato stabulario, pactus est cum eo quantum voluit, et nummum inde non detraxit. Et facta est una vox universae plebis, laudantium eum, et dicentium quia venit adjutorium magnum de coelo. Et orta die, venerunt medici videre mulierem, et invenerunt laetantem in diversorio, et obstupuerunt.

IV. Et respondens Caleoster dixit medico, qui curaverat hominem habentem calculos: Fac ut aegrotus tuus oneret caput tuum auro probo, et ego similiter faciam, quia ille non videbit mortem per decennium, et ego vincam universum. Non dico autem quia non videbit mortem viginti annis. Et exiit sermo quoniam aegrotus ille toto decennio non moritur; et confortabatur vehementer. Et erat quidam homo sedens ad tributa cum ministris, qui Caleostrum noverat in longinquis regionibus, et erat ei notus valde. Hic ergo intromittebatur quotidie ad illum, et ministrabat ei plurimum, gaudens super eo, et glorians in arcanis ejus. Apprehenderunt

ergo eum quidam, et interrogaverunt secreto dicentes: possumus verum ex te scire? Nam tu quidem de consiliariis ejus es. Qui ait: interrogate quod vultis. At illi dixerunt: dic nobis, si Caleoster coenavit cum Christo Domino in Cana Galilaeae, et bibit aquam vinum factam, ut multi diffamaverunt. Respondit ille, et dixit eis: non, sed tamen ante multa saecula natus est: verum nemini dixeritis. Et irridebant in eum. Erat autem non modica dissensio inter multos ex qua secta ille esset, et alii dicebant esse Mahumetanum, alii Hebraeum. Litigantibus ergo illis, dixit Caleoster: ut quid ambigitis et confundimini? utraque secta signum habet indelebile: venite et cognoscite. Et alius post alium abibat nihil respondens. Quidam autem putabant quia et mortuos suscitaret, et faceret cum vivis discumbere, et fabulari. Veniebant autem et alienigenae tentantes eum multis sermonibus, si quo modo possent deprehendere eum in mendacio, et arguere. Qui admirabantur in verbis prudentiae ipsius, et recedebant dicentes quia hic homo non potest capi.

V. Et quum haec quidem fierent Roboreti, mittebantur epistolae Mediolano quoniam et ibi Caleoster est. Erat itaque omnis populus exclamans, et stupens quomodo esset possibile hoc verbum. Et multi dicebant quia alteruter seductor est, et quidam utrumque detestabantur. Et nemo poterat intelligere donec occulta revelarentur. Ille autem, qui erat Roboreti, perseverabat die et nocte curare infirmos, respondens unicuique cum omni humanitate, et promittens finem quarumlibet infirmitatum intra dies quindecim. Et dubitantibus super pharmacis ejus dicebat confidenter: ego vobis ignosco,

quia me non nostis. Similiter autem et uxor ejus: quae etiam addebat quoniam vir meus nullos non sanat, praeter mortuos. Haec autem nunquam admittebat ancillam in cubiculum, nec ornatricem, nec quemquam. Et procedebat illita fuco, qui dicitur quinque guttarum. Et erat fucus ille in Britannis notissimus, quia eum invenerat Calcoster, et pretio ejus duas filias dotaverat viduae cujusdam Centurionis. Et quinque guttis effusis, diffundebatur super omnem faciem cum mixtura valde bona, et candor ejus sicut lactis, et rubor quasi amethysti. Et conversus ad Baptistam fratrem Nicolai disputabat contra medicos, quoniam omnis morbus de duabus caussis procedit, propter crassiores lymphas, vel humores corruptos in unoquoque nostrum. Et aliam caussam non agnoscebat. Et iterum dicebat ei: globum volantem in aera quem fabricatus est filius audaciae, quis diriget quo volet? non potest hic globus dirigi, nisi rotunditas ejus auferatur; et nemo considerat. Loquebatur autem Italice et Gallice, medius utriusque sermonis, et erat potens in verbis suis. Et quaedam mulieres devotae conferentes de morbis ipsarum, rogabant illum, et suadebant ei, ne transiret in fines infidelium. Et nemo sciebat quamdiu maneret nobiscum. Erat autem puella in civitate lunatica, quae dentibus stridens spumabat, et discerpebat accedentes prae ira et furore. Volebant autem eam adducere illi, et non poterant. Venit ergo ipse ad eam, ut depelleret spiritum aegritudinis ejus. Et non fecerat adhuc taliter alii cuiquam. Quidam vero de nobilitate pinguiores credebant in eum, et custodiebant omnia epiphonemata ejus.

VI. Et obsidebat quotidie turba multa atrium Festi,

quaerens videre Caleostrum, et ex oppidis et castellis, omnique circa regione deferebantur ad eum langui-di in corbibus, et culcitis et lecticis, ita, ut platea complerctur, et irruens multitudo se comprimeret invicem. Ernestus autem, qui erat praefectus medicorum in civitate, videns tumultum et opinionem invalescentem, petiit a magistratibus, ut ille vetaretur curare amplius infirmos, dicens quia secundum legem, quam habemus, non licet cuiquam curare, nisi dimisso a doctoribus, quos posuit Caesar cognoscere super doctrina medentium; et qui legem non servat, adversatur Caesari, et reus est. Et magistratus coierunt in unum, et prohibuerunt eum quidquam jam aegrotis praecipere, et minati sunt ei. Ipse autem resistens adversus illos, protestabatur, et dicebat: Ego nemini quidquam praecepi, nisi praesente, et approbante medico ipsius. Et quibus praecepi aliquid, vos scitis quia melius se habent. Sed neque pharmacum ullum dedi, de quo non praedixerim virtutem ejus. Et ecce neminem vocavi ad me, neque voco; venientibus autem ultro ut quid non respondebo eis? Atque omnes mihi testes sunt usque hodie, quia nihil cujusquam concupivi, et mercedem non accepi a minimo ad maximum; sed et subveni pauperibus, tribuens eis quantum opus esset ad agendam curam ipsorum. Et omnis populus clamabat, et fremebat in concilium. Magistratus autem audientes haec aestimaverunt gratiam ei fieri, et dimiserunt illum curare infirmos. Ipse autem indigne ferens cupiebat effugere potestati eorum, et transferre se trans flumen Athesim in pagum Lagarinorum, quae dicitur Villa. Et erant ibi Dynastae suscipientes eum cum gaudio. Quum autem vellent convivium ei facere,

detrectavit. Erat autem sexta Sabbati, hora quasi tertia. Et Joseph quidam pater Joseph sacerdotis, qui magnis fervoribus lavorabat, quaerebat introire ad illum; et quidam juvenis impetravit ei ab uxore Dynastae loci illius, ut sineret eum. Erat autem nomen juveni Clementinus. Et introiit Joseph cum minore filio confidenter.

VII. Sedebant autem in domo Casparis Dynastae viri nobiles, et mulieres; et erat Caleoster in medio eorum stans, et disputans, et multitudo copiosa in atrio foris. Apprehenso autem viro, qui fervoribus, et vertigine jam a multis annis vexabatur, et assumpto ejus filio intravit in cubiculum, et quum vidisset hominem quia vacillaret pedibus, fecit eum sedere. Et ut morbum cognovit, respondens ait, quoniam vermes eum torquent, et nemo adhuc intellexit. Illi autem mirantes tacebant. Et conversus ad Joseph dixit: esto bono animo: ego te sanabo intra dies octo. Tu modo fidem habe in Deum, et in me; et fac quod praecepero tibi. Et professus est, se esse Christianum, et non dissimulavit. Post haec autem dimissa multitudine trajecit, et rediit in civitatem, ubi erat homo adolescens ex cohorte Praetoria infirmus; ad quem antea ipse venerat, et incipiebat melior esse; et similiter puella fanatica, quae et ipsa videbatur capere quietem, et alii multi testificantes in semetipsis opera dilectionis ejus, et benedicentes illi.

VIII. Et admirabantur omnes super adolescente ex satellitio Praetorii, quia brevi surrecturus esset, qui quintum jam mensem decumbebat immobilis, et factus erat velut mortuus prae tumore crurum, et doloribus artuum. Erat autem origo infirmitatis ejus lues, quae venit a finibus terrae per concupiscentiam punire opera

carnis. Et Caleoster quidem videns quia multi male firmi quotidie ad se adducerentur, turbabatur in semetipso, et dicebat: vix reperiri tantam multitudinem aegrotantium in Lutetia, et Byzantio: vae vobis, quia luxuria vestra super vos descendit, et super liberos vestros! et aliud proverbium dicebat, quia parvae civitates plus magis voluptatibus saeculi subvertuntur, et pereunt. Ipse autem erat parvum cibum sumens, nec utens cubili, sed dormiens pusillum super sellam supinam. Et factum est, quum deferrentur ad eum infirmi etiam e nosocomio, noluit recipere, et ait: ego scio quoniam quodcumque mandavero eis, non facient, et verba mea conculcabuntur. Etenim non sinent illos qui habent potestatem in eos. Divitiae autem meae non sufficiunt universis, ut eos segregem e nosocomio. Quare ite, et reponite illos: habent medicos et chirurgos suos, consulant eos. Et unus de chirurgis oppidi, pusillus et strenuus, assistebat ei sine intermissione, et observabat compositiones catharticorum ejus. Sed et quidam de medicis erant cum eo, conferentes consilia fiducialiter. Quos autem sciebat quia adversus se starent, murmurantes in plateis, et commoventes plebem, non persequebatur illos. Dicebat enim: nemo potest benefacere sine invidia. Ubicumque ego fui in universis nationibus, multa ab hominibus pertuli, et nolui quemquam effligere, sed omnes servare. Haec est enim charitas, quae hominem assimilat Deo, reddere bonum pro malo, et eripere genus nostrum de tribulationibus eorum. Et narrabat prolixius quanta sibi in Gallia, et Britannia, et Thracia pro aliorum salute fuissent ferenda, et ignoscebat illis. Erat autem bene mane. Et uxor cujusdam Tribuni militum a finibus

Mediolanensium, speciosa, et decora, quae habebat commendatitias ad Baptistam fratrem Nicolai, cupiebat videre Caleostrum propterea quod multa de illo audierat, et legerat, quomodo sanaret omnes, et non esset alius ei similis in universa terra. Assumpsit ergo eam Baptista, et duxit ad Caleostrum, et accepit eos benigne, et quum tempus esset, ut exirent, dicit Baptista Caleostro: si quid adhuc tibi molestus fui, ecce hodie mercedem magnam reddidi tibi. Et non negavit, et dimisit eos.

IX. Quum autem advesperavisset, interrogaverunt illum quidam, si verum est quod disseminatum est per universam regionem, quoniam in virtute potionis restituit juventam hominibus. Et respondes negavit, quia nihil mihi cum doctis fabulis filiae regis Colchorum. Narravit autem quod fecerat in muliere nobili, cui senectutis timores phrenesin induxerant; et ipse finxit potionem ei dare aeternae juventutis, et opinio ejus sanavit eam. Et ceterae mulieres contristabantur super hoc verbo, quod verum non esset illud poculum, nec, ut sperabant, longaevos renovaret. Et viri illudebant eis. Dixit autem Caleoster: Etiam servi mei fingentes fingunt multa de me; cavete a mendaciis illorum, quoniam tales homines non possunt coerceri ullo modo, ut recte ambulent in veritate. Et mulier quaedam in civitate nobilis, sublato nomine, misit ad eum dicens: Domine, mulier quaedam habet aliquid loqui tecum: veni in proximum pagum, et erit ibi, et honorabit te, et merces tua duodecim aurei. Indignatus vero Caleoster caepit execrari, et dicere quia haec me non cognovit, neque sermones meos: et faciem meam non videbit, donec caecitas ejus removeatur ab ea. Et quaerebant observare illum,

si ascenderet adorare in templum una Sabbatorum, et convenirent ad fractionem panis ipse, et Uxor ejus, et servi. Et nemo certum sciebat, affirmantibus multis, et vicissim negantibus. Verumtamen dimittens plebem intrantem ad se, extento brachio dimittebat illos in signo Crucis. Et similiter quum lictor ille, qui a quinque mensibus decumbebat, sanatus venisset ad eum procidens, et gratias agens, ait illi: quid mihi gratias agis? abi in templum Dei, ubi sacerdos offert holocaustum novum ad altare, et confitere ibi quoniam Dominus abstulit infirmitatem tuam. Et ob hunc sermonem dicebant quidam: vere non solum Christianus, sed et Catholicus est iste. Quidam autem dicebant: non, sed vult unumquemque zelum habere secundum traditionem paternae legis ipsorum, ne efficiat turbas in populo, et potestates hujus mundi injiciant manum in eum. Alii vero medicinae periti negabant quia lictor ille convaluisset, et erant obtrectantes Caleostro super pharmacis ejus, et dissuadentes multis sumere illa, prolatis rationibus de thesauro prudentiae artis eorum. Ipse autem aegrotis fere omnibus praecipiebat bibere ptisanam, de qua est sermo Hippocratis, quoniam non datur potus salubrior super potum ptisanae. Qui vero obtrectabant ei, clamabant dicentes: non omnibus eadem conveniunt. Et iterum: nemo adhuc eorum, quos iste curavit, sanus factus est. Ubi ergo promissa ejus sunt, quia ecce in paucis diebus ejicio omnem languorem? nonne etiam Joseph pater Joseph sacerdotis, cui praedixerat quia vermes postridie egesturus esset, inventus est nullos egessisse, et usque hodie detinetur ab infirmitate sua? Et nemo poterat respondere illis, nisi unum, quia tamen hic homo non

cessat eleemosynas facere. Veniebant autem quotidie ex omni circa Italia viri non pauci, et mulieres primores, et ab aquilone quoque multi, ut viderent faciem ejus, et consulerent eum usque a montanis Germaniae, et a maritima Ligurum, invenientes consolationem in credulitate sua.

X. Sedente autem Baptista fratre Nicolai, et altero cum illo, Caleoster adaperuit os suum, et caepit narrare insidias sibi factas Londini, et quomodo ipso dicente caussam ante praesides, et principes populi adversus calumniatorem, et exclamante voce magna; vivit Dominus, quoniam uter nostrum falsa testatur, confestim morte morietur; cecidit manus Domini super eum, qui se accusaverat, et abiit retrorsum mortuus. Conversus autem Baptista dixit amico: egrediamur, quoniam nimis familiariter hic hodie nos accipit. Et egressi sunt foras. Qui vero erant in civitate, videntes multitudinem confluentium de externis regionibus, admirabantur. Et alii quidem propter id ipsum quaerebant adire ad illum, ne forte improperarent eis alienigenae, quia nos venimus de longe ut videamus eum; vos autem, qui habetis illum vobiscum, nihil curatis, et erubescitis obsequium praestare virtuti. Alii vero alienum judicium non verentes opponebant se caeteris valde constanter. Dicebant autem: quis est iste, aut unde? nescimus. Sed quomodo opinio ejus exiit in universum mundum? numquid vere signa facit sanando omnes morbos sicut promittit? nequaquam. Quomodo ergo? mundum peragrat, aurum distribuit, grandia et obscura loquitur. Et quis non sic magnificatur? sanum faciat aliquem manifesto, derelictum a medicis, et credemus ei. Quidam tamen respondentes dicebant, quia

certissimum pharmacum habet ad fugandas febres periodicas, a quibus ecce multi convaluerunt. Porro dubitantibus aliis, si perpetua esset ista valetudo, et firma; rursus in easdem ambages revolvebantur. Calcoster autem jam non curabat quemquam, qui esset de civitate, et ditione Roboreti; curabat vero solum extraneos, et qui veniebant de longe. Diffamabatur autem sermo, quoniam iterum esset ei interdictum a praeside, et magistratibus, exhibere se medicum. Ipse vero aliam caussam afferebat, quia haec civitas maledica est, et quidam vestrorum poetarum infamaverunt me gratis. Propter quod non faciam amplius virtutes in vobis, et ibo ad longinquos reddere parentes filiis eorum, et parentibus filios de sagittis mortis, et de faucibus tenebrarum. Ibi induet me gloria vestimentis fulgoris sui; coronabunt me matres rosis, sponsae unguentis ungent capillos meos; senes cum junioribus psallent ante me in clangore tubae, et in tonitru tympanorum tentorum: ibi non diffundet invidia virus suum, et incredulitas radices suas non defiget. Putabant igitur, quia brevi recessurus esset a finibus eorum, et multi gaudebant propterea quod dicerent quia conturbat civitatem, et revelat ex facie abscondita vitiorum uniuscujusque. Erat enim Physiognomon, et Metoposcopos. Revertentibus autem sine effectu aegrotis dicebat: quid vobis faciam? ecce medicamina vestra in ultimis terrae, et quis dabit mihi pennas ventorum, ut afferam ea vobis? Et obducto ostio, removebat se a turba, et scribebat Arabice et Gallice, et requiescebat.

XI. Porro dies non praeteribat, quin fieret ad eum novorum aegrotorum concursus, qui civitates suas

relinquebant, cupientes ostendere se illi. Qui autem non poterant venire, mittebant medicos suos audire verba oris ejus. Et descendit etiam puella, filia cujusdam Pompeii, qui fuerat in civitate praetor; et haec crebro concidebat, et allidebatur fremens, et spumas agens, et erat puellae nomen Elisabeth. Et praecepit ei sumere emeticum, et dimisit eam. Similiter autem et alii mulieri nobili, hystericae, quae ad eum de Germania venerat in verbo ancillae cujusdam amicae suae. Nam haec retulerat dominae quae per illum facta essent Argentorati; quomodo fratrem suum, cui medici volebant praecidere brachium ob gangraenam, subito sanasset, et puerperam, cui parabant aperire uterum ejus (moriebatur enim) instillato elixirio restituisset cum infante. Propter quod, et propter multas alias virtutes Argentoratenses imaginem ejus describi fecerunt subscribentes versiculos lingua Gallica in testimonium illi. Et quum introisset ad eum foemina apud Germanos princeps, quae erat pulcra nimis, et proba, surgens Caleoster dedit illi exemplum imaginis suae, quam fecerant Argentoratenses, dicens: en ego tecum ubique omnibus diebus. Et nemini fecit sic. Murmurabat ergo in illa die omnis plebs, et clamabat: magna de longe nuntiantur, ubi nos non fuimus, et quae non vidimus oculis nostris. Faciat modo et hic aliquod signum; sed non potest. Hoc autem dicebant scientes, quia et medico cuidam surdo praebens potionem validam, et in aurem insibilans vehementer, promiserat quoniam triduo adaperientur aures tuae, et tale sibilum utique exaudies: et medicus ille post haec omnia erat adhuc non audiens, et nutibus sermones aliorum excipiens. Sed et vir senex, qui habebat calculos,

hortantibus illum amicis, ut civitatem circumiret in equo, et palam faceret, quia sanavit te Caleoster; respondens ait: abscedite a me qui illuditis mihi: deterius enim mihi factum est, quam antea, et si me prius sic curassem, jam a multis annis requiescerem cum patribus meis. Idem autem dicebant et alii, et incipiebant contemni mandata ejus. Quidam vero rumorem distulerant, quia medici, et pharmacopolae per invidiam proderent eum, et medicamenta ejus corrumperent, vel alia suggererent, ut veritas non inveniretur in eo. Sed turbae magis invalescebant dicentes: vox mendacii est ad quaerendas excusationes in vanitatibus ipsius. Et ecce mulier ista, quam habet, uxor ejus non est (erat autem Romana, Seraphim nomine), sed tantum adjutrix praestigiarum ejus: quae non ingreditur ad fractionem panis per dies festos, ne forte fures veniant, et patefacientes domum furentur ei praegrandes margaritas ejus. Sed nec ipse intrat ad Dominicam Coenam, quia mens ejus non potest requiescere in eo, ut cogitet quae sunt Dei, et dicit se habere privilegium a Principe Sacerdotum. Vae homini, qui non credit, aut facit saecularia meliora coelestibus! Nunc autem ejecit foras servum, quem habebat ab annis quindecim, bonum, et peritum, quia pecuniam acciperet ab iis, qui veniebant. Sed habeat fiduciam: alicubi enim exspectabit illum, et recipiet ad se. Et haec quidem contumeliose jaciebantur a turbis, et erat scissio magna inter eos. Caleoster autem sodalitate motus, ingressus est ad quendam, qui putabatur Frater Sectae Liberorum Structorum, assumere cibum; et uxor ejus cum eo. Et ipse quidem quum esset de Coryphoeis Sectae illius, magister ejus Hetaeriae, qui

vocantur Illuminati, habebat quosdam adhaerentes sibi, qui volebant fieri proselyti, vel etiam videri ejusdem viae. Ecce autem vir quidam nobilis alienigena petebat initiari se, allata summa aureorum quasi trecentorum, et erat cum eo, et cum altero Fratre, qui venerat usque a mari, die et nocte. Caleoster autem respondit, et dixit ei: nisi convenerint simul tres, non potest quis suscipi in sortem hanc. Scripserunt igitur cuidam discipulo, qui et ipse longinquus erat, ut festinaret venire; et confestim profectus est. At illi repleti zelo erant vigilantes, et exspectantes eum. Et irruebant in pectora eorum cogitationes multae, et agebantur similes percussis thyrso, et plangentibus cymbala in Dindymis. Quum autem venisset, assumpto alio discipulo, suscepit Catechumenum, et diligenter edoctum elementa philosophiae ipsorum, initiavit Eleutheriis, et dedit ei sedere in medio Fratrum, et cognoscere arcana communionis eorum a desertis Scythiae usque ad flumina Æthiopum. Et fecerunt in domo Caleostri coenam grandem, et discubuerunt. Erant autem pendentes lychni multi in triclinio, et uxor ejus manducabat cum eis. Epulantibus ergo illis in seram noctem, magna trepidatio erat in populo, et multi per fenestras, et ostia quaerebant introspicere, et rimari sacra eorum. Et alii alia se vidisse narrabant, sanguinem quidem epotum, et funalia decussata, et evaginatos gladios; et dementabant fabulis plebem. Credebatur quippe Caleoster imbutus esse ritibus Ægyptiorum, et Thesmophoriis quoque Eleusinae Matris. Et quum consurrexissent a mensis, Neophytus quidem remansit cum eis, alter vero de discipulis alienigenis reversus est cum festinatione in patriam suam. At servus ille, quem

ejecerat, divertit ad stabularium, et ait: Non requiescat pax Dei super me, nisi eadem signa, quae facit dominus meus, ego fecero. Et coepit vendere cerata, et mixturas, occulte autem propter timorem domini sui. Caleoster vero non discedebat quoquam, donec Festus, qui Tridento venerat languens, convaluisset: et curabat eum.

XII. Et in una dierum interrogavit quendam, si vellet et ipse conjungi cum iis, qui dicuntur Illuminati. Et homo ille negavit, dicens, quia malo manere in his tenebris exiguum videns, quam in tali lumine fieri plane caecus. Et alios sermones dicebat plenos sale. Quidam autem audientes haec loquebantur invicem: Hic de Synedrio est Fratrum Muralium (quod interpretatum est Liberorum Structorum), et fortasse ab iis missus est curare infirmos, qui sunt in mundo, et de arca, et gazophylacio Sectae eorum largitur. Dicunt enim quod primum praeceptum habent benefacere omnibus. Alii vero respondebant: si quidem tanta caritas est in istis, non hunc mitterent, sed aliquem, qui non deciperet homines per vanam fiduciam. Et rursus dicebant aliqui: veterator ille facit quidem eleemosynas, et non accipit mercedem a multitudine, sed exspectat per intervalla virum aliquem habentem magnas divitias, ut centuplicato lucrum faciat in eo. Quum autem venit in unam civitatem, sedet in ea quandiu exaltatur a populo; et quum virtus temporariorum medicaminum ejus defecit, et revelavit inanitatem promissorum ejus, exit de illa, et sic transit de regione in regionem, et non est finis falsimoniae ipsius. Haec est autem via, et flamma cupiditatis ejus, ut habeatur brachium viritis magnae ab

alto; et ideo circumit maria, et terras, et Omnimedentem se facit. An non si vere tolleret omnes languores, Tetrarchae, et Principes terrae jampridem coegissent illum habitare inter Satrapas in atriis eorum? Sed multi aequiores sic loquentibus resistebant. Irascebantur vero ei, qui scribebat hos sermones, et putabant quia illudens scriberet eos. Et qui scribebat haec, non utique contemnebat illum, sed fideliter narrabat quanta facta essent Roboreti, testimonium reddens in simplicitate sermonis. Et sermo ejus secundum consuetudinem Orientalium in scripturis Graecis, quas Romani transtulerunt de verbo ad verbum. Et factum est, quum Presbyter quidam accessisset ad Caleostrum, ait illi: habeo hunc, et hunc morbum: doce me quid faciens convalescam. Et docuit eum. At rursus dixit Presbyter Caleostro: ostende mihi remedia etiam ad morbos futuros. Respondit Calcoster, et dixit ei: si ego tibi confessus fuero peccata, quae feci, tu me absolutum dimittes; si autem rogavero te, ut dimittas mihi etiam peccata, quae facturus sum, numquid dimittes mihi? Qui dixit: non. Ait illi Caleoster: Et ego adversus te facio pariter. Et ecce nobilis mulier, quae venerat Tridento; et haec obstructis erat auribus, et rogabat eum, ut posset audire. Et aderat vir ejus una, et audiente illo, dixit Caleoster mulieri: serva hanc legem, et ego te curabo. Est autem lex, ut si convalueris, palam facias per acta, quae singulis hebdomadis divulgantur in vobis, quomodo ego te sanavi. Si autem infirmitas tua non reliquerit te, per eadem acta praedices omni viventi, quoniam ego Agyrta sum. Et erat adhuc assidens Festo, et praelibans quae propinabantur illi, cum omni benignitate.



XIII. Erat autem vir quidam ex optimatibus spirans irarum in Caleostrum, qui per compita et plateas maledicebat illi; et is tentavit juvenem, qui haec scribebat, dicens: quid tibi videtur de Calcostro? Respondit juvenis: non est meum judicare hominem, de quo tot judicia sunt, quot homines, et non sunt duo, qui consentiant in idem. Dixit ille: Et tu quoque vacillas, tarde intellectus? Stulti et caeci putant, quia hic benefacit proximo suo; ego autem dixi, et dico, quia malefacit omni viventi ab ortu ad occasum. Etenim propter ejus sermones ab omni regione, quae sub coelo est, veniunt multi magna impensa, et summo labore peregrinantes, ut accipiant salutem ab eo; et decepti revertuntur in domum suam, duplo pejores, quam antea. Ipse vero manducans et bibens subsannat illos in corde suo, et satis habet quacumque ratione praedicari ab hominibus. Haec ille quum dixisset, valedixit juveni, et abiit. Et juvenis ille venit in locum, ubi erat Pharmacopola doctus, et prudens, et plenus justitia, et quaesivit ab eo, quid de hoc homine diceret. Qui sine ira et contumelia narravit, quomodo ipse pertentasset illum in arte sua caute; ille autem, quasi piscis, elapsus esset captanti, et fugisset hamum. Et iterum dicebat, quia quum ego magnam pecuniam lucrari possem conficiendo medicamenta, quae ab illo praescribebantur, nolui, et eos, qui petebant, dimisi, caritate eorum coactus. Miserebatur vero super quibusdam, qui laudabant illum tanquam Herbarium et Chymicum magnum valde. Nam et sic aliqui opinabantur, qui etiam refutabant vehementer quae ferebantur in vulgus de mysteriis Fratrum Muralium illa nocte ab eo celebratis cum asseclis suis. Dicebant enim:

hic ostendit illis secretiora quaedam Physicorum et Chymicorum, et populus credit, quia initiavit eos liberis caeremoniis. Vir bonus est, et instructus vere omni scientia Asiaticorum et Europaeorum, nam et odit circulatores. Et in hoc verbo ridebant multi dicentes vetus proverbium: Figulus figulum. Nonne principio certare volebat ingenti pignore, quia debiles et claudi, et quibus ossa essent fracta, ad certam diem surgerent, et ambularent absque menda? et quis circulator fuit unquam tam impudens? profecto pater eorum est. Et dum hi sermones sererentur, sedebat ipse domi, et Baptista frater Nicolai, et Aloysius, vir nobilis a civitate Vicetinorum, erant cum eo, et propter sapientiam ipsorum delectabantur dumtaxat ingenio ejus. Etenim multa praedicabat gloriose, testimonium dans sibi ipsi; et quadam die caepit dicere: In civitate Petri, qui dicitur Magnus, quidam ex Satrapis Reginae Russorum habebat fratrem lymphatum, qui putabat se esse majorem Altissimo. Et nemo poterat resistere insaniae furoris ejus; et erat clamans voce magna, et minitans orbi terrae, et blasphemans nomen Altissimi. Custodiebatur autem diligenter. Et Satraps ille deprecatus est me multum, ut curarem eum. Quum ergo intrassem ad illum, statim infremuit, et acerbum intuens, ac brachia distorquens (erat quippe catenis vinctus) videbatur velle in me irruere. Clamabat autem vehementer: Projiciatur in profundum abyssi qui sic audet venire in conspectum Dei magni, qui vicit omnes deos, et dispersit illos a facie sua. At ego confortans me ipsum astiti confidenter, et dixi ad illum: non taces, spiritus mendax? numquid ignoras me, quoniam ego Deus sum super omnes deos, qui vocor Mars;

et ecce brachium meum fortissimum a summis coelorum usque ad inferiora terrae? Nunc autem veneram ad te, ut opitularer tibi, et facerem bene; et sic tu me accipis, neque consideras, quia facultatem habeo restituere te, et ad nihilum redigere te? Et continuo dedi ei alapam magnam, et cecidit retrorsum in terram. Qui quum elevatus esset a custodibus, et inciperet mitigari, jussi illos afferre prandium, et ipse solus accubui interdicens ei gustare mecum. Et ut cognovi, quia se humiliaret, dixi ad eum: Salus tua in humilitate, o vacue omnis potentiae coram me: accede et manduca. Et postquam manducavit modicum, ascendimus ambo in currum, et venimus extra portam civitatis ad flumen Naevam, ubi custodes paraverant cymbam, et sedebant dispositi secus flumen. Et quum cymbam conscendissemus, impulsa aqua remis ferebamur. Tunc quaerens immergere illum in flumen, ut horror ille fieret ei in salutem (aderant enim qui fluctuantem exciperent), subito corripui eum, qui vicissim me tenuit, et circumfudit se collo meo, et decidimus uterque in aquam. At ille nitebatur demergere me deorsum, ego autem superior opprimebam illum; et post non modicam pugnam ego quidem expeditus enatavi de aqua; ipse vero sublatus est a custodibus, et impositus cisio. Et quum rediissemus domum, commutatis vestibus, dixit ille ad me: In veritate cognovi, quia tu es Mars, et non est alia fortitudo ante te; et ego ero subjectus tibi per omnia. Respondi ego, et dixi ei: neque tu aemulus es Dei aeterni, neque ego Mars sum, sed homo, sicut et tu. Daemonium habes superbiae, et ideo insanis: ego autem veni subtrahere te a spiritu malo; et si subjectus fueris mihi per omnia, fies

sicut ceteri hominum. Et ex illo caepit velle curari, et ad se reversus est, qui evanescebat in deliramentis auis.

XIV. Alia vero die erat itidem Caleoster narrans, et dicens: Episcopus quidam senex infirmabatur, et vocavit me. A quo quum didicissem morbum ipsius, dixi ei: nisi concubueris cum virgine, certo morieris. Et si concubueris, virgo quidem portabit infirmitatem tuam, tu autem salvus fies. Et visum est hoc grave, et inhonestum coram illo. Et vocatis ministris et legisperitis, consilium habuit cum eis, quidnam faceret. Qui post multam disputationem dixerunt unanimiter: concumbe; etenim non propter concupiscentiam facis, sed ad servandum te tibi, et universo ovili. Et fecit sic, et convaluit. Infirmata est autem puella, et rursus curavi eam. Porro qui audiebant haec, exeuntes ajebant ad invicem: cur iste non abjicit pyxides, et quaestum facit fabellis? ascendat in pulpita, et narret otiosis in foro historias suas. Aut si imponere vult hominibus quasi Elymas aliquis, aut Mambres, contineat se in civitatibus magnis, ubi multi voluptarie viventes sedent in umbra insipientiae. Pusillus populus plerumque operatur, et videt. Sed quidam dicebant, quia de Episcopo illo non narravit sic, sed quoniam noluit obtemperare tali consilio, inquiens? pretiosa mandata Domini super vitam. Et post haec exiit interdictum a Caesare Augusto, ne curaret deinceps quemquam, neve consulentibus responderet. Acclamabat vero omnis multitudo, et dicebat: vivat Rex et Dominus noster, quia hodie fecit clementiam suam nobiscum. Ecce enim infirmi, qui paruerunt Caleostro, pejus se habent ad unum omnes. Ipse autem timens obediebat legi, et dimittebat universos sine responso. Et unus homo fecit

epigramma, ostendens ex inverso nomine ejus, quoniam unus de Pseudochristis est, in veram Domini gloriam nequicquam tentans assurgere. Hoc autem vel dictu nefas visum est prudentioribus. At uxor Caleostri venit cum presbytero quodam in templum, et sacrificante illo positis genibus adoravit. Sed et alius sacerdos, plenus bonorum operum, disserebat saepe cum ea de regno Dei, et quis extra ecclesiam non est fides, neque salus; et dedit ei legere quae scripta sunt per Apostolos Domini, et per spiritum Prophetarum ejus. Gaudebat autem super fide, et super omnibus verbis mulieris. Etenim haec irascebatur in fervore spiritus pravitati falsorum philosophorum, qui surrexerant in Gallia, et sapientes saeculi exagitabant, meditans assidue in Scripturis. Porro aliis dicebat: Ecce explevimus hic opus nostrum sanando omnes languidos: et nunc ardet in me animus meus transire in alias civitates, ut non sit locus, ubi caritas nostra non manifestet se filiis Adae. Et alia multa loquebatur juxta cor viri sui. Servus autem, qui ejectus fuerat, et vendebat cerata, putabatur consensisse cum domino suo in eam fallaciam, et pretia eorum deferre illi. Quidam ergo ex iis, qui crediderant, supplodentes pedes suos indignabantur, quia filius Aurigae (nam ea vagabatur fama de Caleostro, et quidam dicebant, fuisse pictoriae artis; aliis tamen inclyta stirpe ortum, et regie in Arabia eductum, sed dissimulatum jactantibus) seduxit nos, et spem nostram habuit despicatui. Et mirantibus nihilominus de claritate ejus trans montes et maria longe, respondebant multi: Si facta non fuissent Lutetiae Parisiorum quae facta sunt propter unum torquem, hujus vix nomen auditum esset in nobis. Fama ejus de

carcere squalido, et de compedibus ferreis exaltatio ipsius.

XV. Et paullo antequam vetaretur mederi, volebat submittere qui pharmacum quoddam suum praecipuum ad epilepsiam divenderet, et pretium ei fecerat magnum, dicens, quia necesse habeo recreari ab aerumnis, quas pertuli Lutetiae in vinculis, et lacrymis, et omni persecutione. Quidam autem dissuaserunt ei, reputantes secum, quoniam praetenderet rete suum, et caperentur aviculae multae. Et venit homo gibber obsecrans eum: Domine, qui omnem morbum auferre diceris, aufer a me hoc pondus. Pererrans eum oculis Caleoster ait illi: impone gibbae tuae ferri laminam quadrilibrem, et quotidie superincumbe spatio horarum sex, et nonus dies non lucescet, donec gibba tua tollatur abs te. Aderat vero medicus quidam, et haec dicens Caleoster nutabat ei cum risu. Post interdictum autem Caesaris nulli alii rei vacabat, nisi accipere amicos, et magnificare divitias scientiae suae. Dicebat autem ad illos: Si quis non bene convaluerit a lue mali gaudii, ego sine opera mulieris reduco eam ipsi, et mox restituo illum radicitus. Quare ite, et ludite, si non animabus vestris timetis, sed corporibus tantum. Et ceteri quidem medicorum argento vivo curant lue correptos, ego autem nolo curare venenum veneno, ne forte uno morbo depulso, excitetur tempore alter saevior priore. Qui vero cerata ejus retexuerant, et probaverant, testabantur quia falsum dixit, et ecce compositio eorum utique ex argento vivo est. Pari modo gloriabatur inquiens: non potest in vesica gigni tam magnus, neque tam durus calculus, ut non ego dissolvam eum in urinam pharmaco meo.

Et unus audientium respondit: quomodo istud pharmacum potens est dissolvere calculum quamvis grandem, et non nocebit visceribus, neque dissolvet ea? Dixit Caleoster: Hoc ergo secretum meum est, circumseptum a profanis. Et protinus exponebat virtutem cujusdam antidoti suae, dicens: ego venenum saepe bibi coram amicis meis familiaribus, usque ad livorem et mortem: et jam illis plorantibus, sumpta antidoto mea, statim convalui. Et continuo ajebat: Audite quod contigit in civitate Petri, qui vocatur Magnus. Archiatrus qui tunc erat Reginae Russorum oderat me, quia inscitiam ejus detegerem, et intravit in domum meam clamans: veni, et decertemus gladio. Respondi ego, et dixi ei: si provocas Caleostrum, ego te tradam servis meis praecipitandum de fenestra; sin provocas medicum, ego vero ut medicus respondebo. Qui exterritus ait: provoco medicum. (Etenim habebam servitium multum). Tunc dixi ad eum: Decertemus ergo non gladio, sed armis medicorum. Tu devorabis duo catapotia arsenici, quod ego dabo; ipse autem quodcumque toxicum dederis mihi, deglutiam illud. Uter autem nostrum peribit, erit superstiti tanquam sus. (Sic enim Caleoster appellabat quos contemnebat). Et quidam nuntiaverunt Reginae verba haec, et vocavit me. Et quum stetissem ante illam, dixi constanter: Regina, liceat verum loqui: Archiatrus tuus, quem et Tribunum militum fecisti, sus est. At illa suasit mihi non venire cum indigno in certamen, et eadem hora avertit vultum suum ab eo. Porro et de arcanis Alchimistarum loquebatur copiose, et quomodo ipse transmutaret metalla, et aurum liquefaceret quasi argentum vivum, rursusque consolidaret. Et

audiente Baptista fratre Nicolai cum aliis, dixit: quum essem in Helvetia in pago Bernensium (Bernenses autem donaverant eum civitate, ut saepe gaudens praedicabat), caepi dicere ad illos: Viri Helvetii, aspiciens montes vestros perpetuo gelu obductos, et considerans aestimavi, quoniam magna vis auri, argenti et crystalli, quae vocatur montana, in eorum visceribus lateat. Si ergo decem annorum fructus mihi permiseritis, ego dissolvam glaciem, et effodiam illos meo periculo. Qui responsum dederunt mihi dicentes: nolumus te in eo tempus, et pecuniam perdere. Quidam autem astantium dixit: quomodo glaciem illam dissolveres? Respondit Caleoster: aceto. Ait Baptista ad illum, qui interrogaverat: sicut Hannibal alpes quum venit in Italiam. Et conversus ad Caleostrum inquit: Domine, si quid dubito, habe me excusatum. Nam fortasse Helvetii timuerunt, ne soluto gelu descenderent aquae, et irruentes inundarent Civitates eorum. Et pausa facta respondit Caleoster: multi lacus sunt in Helvetia; in hos ergo derivari potuisset omnis multitudo aquarum. Ut autem audientes laetificaret, egressus in alios sermones narrabat sic: Quum opus haberem muliercula, quae nec meretrix esset, nec virgo, nec fuisset nupta (nam infiniti casus occurrunt medentibus), videns adolescentulam quandam formosam, dixi ad eam: mane; ego tibi magnum lucrum polliceor, si virgo es. Quae respondit: etiam sum, Domine: dic quid me velis. Tunc ego dixi ei: immo valeas, non enim virginem quaero, sed quae virum cognoverit. At illa erubuit, et ait: mentita sum coram te, Domine mi: ecce enim fui cum homine adolescente: duc me, obsecro, ad lucrum istud. Et duxi eam. Et totus circulus hilaratus

est fabella. Quum autem acciperet epistolas a multis, saepe tacite legens exclamabat: quid audio? Dominus percutit inimicos meos, amicos autem exaltat. Et nuntiabat festinanter uxori suae, quae undantibus per colla comis gestiens, et exsiliens implebat laetis vocibus domum. Erat enim cor ejus quasi flamma ignis, et quasi flumen exundans os ejus. Et forma ejus in diebus adolescentiae suae obscuraverat cunctas. Et haec quidem erant in primis, de Caleostro quae viderentur scriptione digna. Qui autem haec conscribebat, numquam locutus est cum illo. Scripsit autem quae accepit sicut accepit, sine odio et amore, nihil in se recipiens, nec praestans, sed tantum studens memoriae tradere quaecumque in civitate sua ferebantur de viro hoc famoso, et judicium aliis relinquens. Dixit autem quidam juveni scribenti haec. Non tu Evangelium profanas scribendo sic? Respondit juvenis: nequaquam, non enim abutor iis, quae dicta sunt de Deo, et de Filio ejus Domino Nostro, nec sententias Scripturarum conglutino, nec certa Dogmatum verba detorqueo, pro quibus et devovere me sum paratus; sed utor verbis communibus, et meus sum. Omnis autem forma sermonis ex communibus verbis constans communis est, tam profana, quam sacra recipiens; discrimen autem rerum est: sicut et ex iisdem lapidibus fit domus et templum, et ex eodem auro amystis et simpulum. Et nonne Evangelistae pari modo scribunt de Sancto Dei, et de Simone Mago, ac Theoda? Quid ergo me accusas? Dixit ille: Sed cur hanc potissimum loquelam adhibuisti? Ait juvenis: quia nulla est magis idonea ad unumquidque exponendum breviter et expresse, et quia talis loquela talia affectare credito conveniebat;

multi enim dicunt: Onager sub spolio leonis. Ut autem scias, quoniam talis loquela non in solo Evangelio est, lege Æsopum latine conversum e Graeco, et similiter quae de Æsopo scripta sunt per Planudem Byzantium, qui ministravit Domino in ecclesia Sanctorum. Quibus ille auditis ait: Quam pauci ex vero judicant! et recessit.

XVI. Caleoster autem venit iterum trans Athesim ad Dynastas regionis illius, et quum multis consilium dedisset super infirmitatibus eorum (convenerant enim illuc, ne interdictum Caesaris violaretur), valedixit eis, et reversus in civitatem, collectis properanter rebus, post biduum profectus est Tridentum cum uxore sua, undecimo Calendas Novembris, quemadmodum computaverunt Romani; sex quidem et quadraginta diebus ab adventu ejus. Erat autem quarta Sabbati prope horam nonam. Et quum consedisset in curru, accessit ad eum servus ille, quem extruserat foras, ut eunti precaretur fausta; et opposita manu prohibuit eum dicens: aufer te, serve pessime. Conversus autem ad illos, qui forte aderant, inquit eis de se: Dicite Roboretanis, ut ignoscant famulo suo, si minus eis satis fecit; certe enim voluntas ejus fuit impigra, et cor ejus sine astutia coram ipsis. Et illo amplius loquente, buccina increpuit, et equi rapuerunt currum e conspectu eorum. Erat autem Caleoster facie amabilis nimis, statura quidem non magna, magno autem capite, et pinguedine multa. Et quum pinguis esset, movebatur tamen agiliter, et circumvolitabat. Bonus vero color ejus, capilli capitis ejus fusci, oculi ejus cavi et vividi. Et ipse loquens grata voce, et vehementiore gestu, attollebat illos ad coelum, et erat similis combibenti afflatum de excelsis. Indumenta ejus munda

absque luxu, et conversatio ejus cum omni jucunditate. Et post discessum ipsius surrexit quidam poeta, et descripsit illum initiantem Liberos Fratres secundum opinionem plebis. Erat autem fama, quoniam eximiis honoribus honoraretur a Tridentinis. Prudentes vero, et cordati homines, qui erant Roboreti, conferentes inter se de his, quae facta fuerant, et examinantes, ad extremum dicebant: Ambiguitates magnae et contradictiones multae; vere aenigma est iste, de quo non licet judicare, donec finis ejus revelaverit eum.

RIFLESSIONI

SOPRA

LA CRONACA DEL CAGLIOSTRO

A UN AMICO

Voi citate contro alla Cronaca del Cagliostro, il s. Concilio di Trento alla IV. Sessione: *Post haec ec.* Ma udite un poco.

Per intender il Concilio di Trento alla sessione IV. si vogliono distinguere i concetti della sacra Scrittura dalle parole; poi le parole della s. Scrittura dalle parole, che sono nella s. Scrittura; finalmente i concetti e le parole della s. Scrittura dallo stile della medesima.

I concetti ognun vede, che sono gl' interi sentimenti, e le intere sentenze. Questi non può l'uomo torcere a profani argomenti.

Le parole della sacra Scrittura son ciò che si chiama anche Testi formali di essa, contenenti alcuna parte di concetto compiuta in sè, benchè staccata dal pieno complesso del medesimo concetto, verbi grazia *sedebat sic supra fontem: et quum recubuisset iterum: et sine ipso factum est nihil.* E di nuovo le parole della s. Scrittura s' intendon quelle che hanno in sè forza di denotare alcun misterio, dogma, sagramento ec. e diventano quasi *tecniche* in Teologia. Verbi grazia, *Panis vivus*: *Verbum caro*: *Calix sanguinis*: *Vita aeterna ec.*

Nè pur tai parole non è lecito applicare ad altri propositi.

Le parole, che sono nella sacra Scrittura, io chiamo le voci comuni, maniere del dire le quali non contengono nè membro di sentenza, nè sustanza di dottrina, e sono al tutto indifferenti. Verbi grazia *vinum*, *mensa*, *domus ec. Oriri solem*, *fieri mane*, *dissecari corde*, *vexari languoribus*, *odio habere*, *haurire aquam ec.* Queste parole e queste frasi può ciascheduno usare a sua posta; perchè se non potesse, ne verrebbe l'assurdo, che gli fosse proibito parlare e scrivere.

Imperò il Concilio di Trento non proibisce le parole, che sono nella Scrittura, ma sì le parole della sacra Scrittura, cioè i Testi formali, ancorchè non di piena e perfetta sentenza, e molto più le sentenze.

Lo stile poi della sacra Scrittura non inchiude nè i concetti o sentenze, nè le parole formali e sustanziali di essa. Lo stile è un prodotto di parole e frasi comuni, del colorito, delle figure e del giro della sintassi: così che l'uomo può scriver nello stile della Scrittura, senza usar mai un Concetto, nè un Testo formal di essa. E quando non abusa nè d'un Testo di essa formale, nè d'un Concetto, egli non cade altrimenti sotto la proibizion del sacro Concilio.

La parola d'Iddio non è il genio grammaticale e rettorico dello stile. I padri greci e latini senton concordemente: che Iddio aspirò agli Evangelisti, sì come a' Profeti, le cose, e lasciò la maniera d'esprimersi in tutto libera al loro ingegno, alla lor coltura, ed al gusto naturale del lor linguaggio, paese e secolo (*V. Lamium, de Erud. Apost.*): di che appunto nasce, che gli uni sieno

più nobili, più eleganti, o più semplici, e più concisi degli altri; e san Matteo, verbigrazia, sia pien d' ebraismi, san Luca più corretto e copioso grecista, più stretto san Marco, san Giovanni amante di relazioni e ripigli.

Il perchè, essendo lo stile tutta opera umana, nè appartenendo punto a ciò che dee chiamarsi, e si chiama parola d' Iddio, nè parlando di esso il citato Concilio; non si vede perchè non possa essere imitato senza colpa, sì come ogni altra foggia di stile; salvi i concetti e le parole formali e sustanziali.

Certa cosa è, che lo stile della poesia orientale, cioè quel de' Profeti, è stato imitato da uomini celebri, anche a' dì nostri; e persona non ne ha loro fatto delitto. Or perchè vorrassi condannare un' imitazione dell' oriental prosa storica? Ma (dicono) ad ogni modo questa imitazione nella Cronaca del Cagliostro ricorda il Vangelo, tuttochè nè concetti vi sieno, nè parole sustanziali di esso.

Ricordi pure il Vangelo, e per questo? egli si vuol por mente al fine, perchè il ricorda, ed a ciò che ne seguita. Il segreto confronto, che mette lo stile fra i veri miracoli e i falsi, non serve sovranamente a confonder l' impostura, collo stesso riverbero della verità, ch' ella cerca di contraffare?

Chi può negare, che il fine non sia rettissimo? Rimane, ch' egli sia chiaro in tanto, che non ammetta equivoco alcuno. A conoscer questo, si legga la Prefazione là, dove dice: *vel etiam argumento adductus, quod de eo homine scriberet, qui, velut alter hominum Servator, prope divinos honores plerisque affectare videretur:* si legga al capo XIV. *quoniam unus de Pseudochristis est, in*

veram Domini gloriam nequicquam tentans assurgere. Hoc autem vel dictu nefas visum est prudentioribus. Si legga finalmente al capo XV. *quia talis loquela talia affectare credito conveniebat; multi enim dicunt: Onager sub spolio leonis.* Tutto dunque è chiarissimo.

Se il sacro Concilio di Trento non parla dello stile della Scrittura; e se lo stile della Scrittura fu il comune dei Palestini ed Orientali di quel tempo; e se il fine per cui questo stile (senza Concetti, nè Testi formali) fu usato nella Cronaca del Cagliostro, è retto, perchè ordinato a svergognar la menzogna col riflesso della verità, ed insieme è chiaro perchè in più luoghi espresso; qual fia mai ragionevole uomo, che possa farne un delitto all' autore? Concedo, che molti si lascin ferire alla novità della cosa; ma bisogna penetrare oltre alla corteccia, per giudicar rettamente.

M. TULLII CICERONIS

VITA

I. M. Tullius Cicero M. Tullii Equitis romani, et Helviae filius, Arpini natus est an no ab urbe condita 647, 3. non. Januarias, Quinto Servilio Caepione, Cajo Atilio Serrano Consulibus. Patris diligentia, et L. Crassi consilio cum consobrinis suis, Aculeonis filiis, optimis disciplinis eruditus est. Elucebat jam tum in puero egregia indoles, et ingenium nullum par habiturum. Ad quae tanta naturae bona quum magistri in suo quisque genere lectissimi accederent, non potuit non ad summum laudis fastigium pervenire: audivit enim doctissimos ex omni Graecia viros, Arohiam poetam, quem postea defendit, Philonem Academicum, Diodotum, ac Posidonium Stoicos, Molonem rhetorem, aliosque. Traditum est memoriae, Molonem, quum eum declamantem audisset, maerorem prae se tulisse, rogatumque, quid ita moestus esset, respondisse, Graeciae se fatum deplorare, cui dicendi quoque laus, quae sola ipsi reliqua esset, per illum eriperetur.

II. Primum stipendium meruit annorum decem et octo, in bello Marsico sub Cnaeo Pompejo Strabone; inde Syllae castra sequutus est. Verum ad pacis, quam belli artes propensior, in foro esse caepit, ac multas nobilesque egit canssas, tanta facundiae admiratione, quantam nemo nec antea, nec postea est consequutus. In Graeciam, atque Asiam profectus, iter illud biennio

ita confecit, ut aliis utiliter peregrinandi exemplum reliquerit. Quaestor abiit in Siciliam, ubi Archimedis sepulchrum, quod ejus cives latuerat, homo Arpinas detexit. Ædilis creatus, orationes in Cajum Verrem, ultimum Siciliae praetorem, ejusdemque praedonem edidit, ut demonstraret, qualis accusator futurus esset, si vim orationis suae ad criminandi invidiam, quam ad defendendi laudem conferre maluisset.

III. Anno ab U. C. 690 consulatum gessit cum C. Antonio. Quod munus plus ei attulit gloriae, quam cuiquam imperatori ulla victoria. Etenim singulari vigilantia, consilio et auctoritate, Lucii Catilinae res novas molientis conjurationem detexit oppressitque, et universam urbem, totamque Italiam a teterrima clade et vastatione liberavit. Quo factum est, ut primus pater patriae appellaretur, primusque in toga triumpharet. Invidiam tamen non effugit, propterea quod aliquot patricios Catilinae socios, indicta caussa, ex senatus consulto carnifici strangulandos tradiderat. Qua ex re Publius Clodius tribunus Plebis, vir omnium pessimus, et suo nomine Tullio infensus, occasionem arripuit legis ferendae, qua ille in exilium proficisci cogeretur. Quum ergo in Graeciam profugisset, a Cnaeo Plancio exceptus est, ejusque liberalitate sustentatus.

IV. Verum decimosexto mense decreto senatus, et totius Italiae suffragiis revocatus, pristino instituto, quandiu Romae fuit, in caussis versatus est, in quibus Hortensium aemulum jam longe superarat. Quum proconsul Ciliciam obtinuisset, eamque a Parthorum incursu prohibuisset, Amanenses latrones debellasset, et Pindenissum oppidum cepisset, est imperator salutatus,

decreta ab senatu supplicatione. Ita homo novus non aliena commendatione, sed sua virtute ad summos honores pervenit.

V. Sequutum est postea bellum civile inter Pompejum Magnum, et Cajum Caesarem, in quo Tullius, quum frustra pacem conciliare studuisset, deterreri non potuit, quin Pompejanis partibus, utpote honestioribus, faveret, et contra Caesarem arma caperet. Sed Pompejo interfecto, vehementer rebus suis timere coepit. Caesar autem, qua erat animi magnitudine, non modo veniam ultro ipsi dedit, sed etiam omnibus officiis victor hostem complexus est; neque tamen perficere potuit, ut ab eo diligeretur. Nam quum haud ita multo post a conjuratorum manu in curia trucidatus fuisset, ejus necis nuntius magnum Ciceroni attulit gaudium, qui eo facto rempublicam tyrannide liberatam putabat. Sed opinio eum fefellit, quippe etiam majores inde orti tumultus sunt, quique suae ipsius vitae exitiosi fuerunt. Quum enim in Marcum Antonium interfecti Caesaris defensorem acerrimas orationes, quas Philippicas dixit, pronuntiasset, Antonius, simul ac Octaviano, qui adversus eum pro libertate steterat, cum Marco Lepido socio reconciliatus est, et triumviratum iniit, facile ab eodem Octaviano bonae caussae desertore impetravit, ut communium inimicorum proscriptio a Cicerone inciperetur.

VI. In quo quidem singulari hic fuit fato, ut et Caesaris Octaviani, quem optimatibus adhuc faventem studiosissime extulerat, permissu proscriberetur, et a Cnaeo Popillio Laenate tribuno militum, cui vitam in judicio servaverat, occideretur. Is enim praemii spe illectus, ultro operam suam Antonio detulit, impetratisque adjutoribus,

Cajetam venit, quo sciebat Ciceronem confugisse. Quum autem ibi neminem reperisset, cognovissetque, eum lectica ab servis ad mare ferri, insequutus deprehendit, ac jugulum fortissime praebenti caput et dexteram abscidit, atque ad Antonium retulit, qui pro Rostris, unde ille toties divine peroraverat, poni jussit. Ita periit M. Tullius annum agens LXIV, cujus nece misceri omnia et ruere coeperunt; etenim nec sine republica Cicero, nec sine Cicerone stare poterat respublica.

VII. Quod ad res ejus familiares attinet, uxorem duxit primum Terentiam fidelem, sed turbulentam mulierem, ex qua Tulliam et Marcum suscepit; eaque justis de caussis repudiata, Publiliam, cujus facultatibus aes alienum dissolvere cupiebat; sed quum Tulliae morte, quae apud Dolabellam incredibili cum patris dolore pariens decesserat, laetari visa esset, eam quoque dimisit. Fratrem habuit Quintum, quamquam natura quidem magis, quam moribus. Marcum filium unice amavit, atque Athenas in Cratippi philosophi disciplinam misit, haud sane responsuro paternae gloriae successu.

VIII. Ciceronis studia persequi nimis longum fuerit: satis erit dictum, si affirmaro, in omni scientiarum genere eum fuisse versatum. Nam et mathematica, et astronomica, et physica non solum cognovit, sed etiam tractavit. Philosophiam tamen praecipuo quodam studio dilexit, quam apud Romanos etiam tum hospitam in primis civitate donavit, fecitque, ut Latini Graecorum libris jam non egerent. Quum diligenter considerasset, quantum in quaque philosophorum familia esset ponderis, ad Academicos se adjunxit, deque omnibus rebus in contrarias partes disputavit. Quod etiam ad dicendi copiam

mirifice ei proderat. In qua quidem, quemadmodum rhetorici ejus libri orationesque testantur, singularis atque unicus fuit, sic, ut posteris et sui imitandi necessitatem imposuerit, nec spem aequandi reliquerit. Ne a poetica quidem alienus fuit, sed caeteras laudes haec una obscuravit. Graece quoque nonnulla scripsit, sermonem vero patrium summa cura expolivit et locupletavit.

IX. Moribus fuit cum elegantibus, tum integerrimis. Nam et in vestitu munditiam adhibebat, neque tamen affectabat, et incessu gestuque, quem a Roscio nobili Comoedo didicerat, non effeminatam mollitiem, sed splendidum quendam decorem prae se ferebat. Quum in senatu gravissimam quamque personam unus optime sustineret, domi quoque parem laudem consequebatur, boni patrisfamilias, et clementis heri officia obeundo. Amicitias diligentissime colebat, quod maxime declaravit in Tito Pomponio Attico, cui, dum vixit, conjunctissimus fuit. Beneficia nunquam non meminerat, quae tamen libentius dabat, quam acciperet, atque etiam in dando beneficio mores hominum, non fortunam sequebatur, idque etiam aliis praecipiebat. Injurias cito obliviscebatur, sic, ut diceret, se aeternas amicitias, mortales inimicitias habere.

X. Nullam horam perire unquam passus est, sed quidquid a negotiis supererat temporis, id omne in bibliotheca inclusus litteris impertiebat: quibus quo magis vacaret, crebro in villas se suas conferebat, quas ad duodeviginti amoenissimas habuit. In primis vero Tusculana delectabatur, ad quam omni signorum et tabularum genere exornandam nulli sumptui pepercerat. Quum summa esset ejus in victu temperantia, singularis

tamen erat in convivio hilaritas, quod scilicet id ipsum non ad voluptatem referret, sed ad communitatem vitae, remissionemque animorum, quae sermone efficitur familiari. Ex quo ajebat, minus scite Graecos symposia dixisse, id est, compotationes: sapientius autem Romanos convivia, quod tum maxime simul vivitur. Nec vero inter epulas solum festivitatem exercebat, sed passim etiam in coetibus, atque in omni vita. Erat enim in eo nativa quaedam et praecipua jocandi facultas, quae coerceri non poterat, quin ubique se efferret. Hac ille instructus, saepe in judiciis uno dicto vel testes obruit, vel adversarios fregit, vel sibi judices conciliavit. Omnino Caesar, optimus judex, usque adeo ejus facetiis delectabatur, ut eas cum actis publicis perferri ad se vellet. Trebatius etiam, homo ipse facetissimus, unum volumen confecit de jocis M. Tullii, tria vero libertus ejus Tiro.

XI. Caeterum ejus non modo abstinentiae, verum etiam liberalitatis hoc satis erit testimonium, quod quum maximam pecuniam e Ciliciae administratione percepisset, eam omnem inaudito exemplo in aerarium tulit. Nec magis ab avaritia, quam ab invidia, atque a libidine remotus fuit. Nam et juvenis aspernatus est voluptates, nec senex, quum multis matronis, atque in primis Caerellia philosophiae studiosa familiariter uteretur, ulla infamia laboravit. Si quando in negotiis timidior visus est, id ex eo fiebat, quod pericula, et mala tamquam e specula tempestates, prospiciebat. In quo quidem videtur divinandi artem quandam habuisse; vel potius ostendit quam vere dictum sit, usu peritum esse hariolo velociorem. Inanem laudem, et sermones vulgi semper

contempsit; verae autem gloriae appetentissimus fuit, quod hanc unam esse diceret, quam assequi sine virtute nemo posset, et quae vitae brevitatem posteritatis memoria consolaretur. Nam quod interdum de se ipso praedicavit, id necessitate compulsus fecit, ut improborum maledicta refutaret. Quod si quid in ea re offendere visus est, dabimus cupiditati illustrium factorum fecundissimae haud difficilem veniam.

XII. Porro etsi Academicam, ut diximus, sectam professus erat, in qua nihil certo affirmabatur, quaedam tamen initia, et fundamenta arctissime tenuit. Nam et summum bonum in virtute ponebat, et sibi ipse persuaserat, esse praestantem aliquam, aeternamque naturam omnia sentientem et moventem, effectricem et moderatricem hujus mundi; hominum animos nequaquam post mortem interire, sed semper manere: duasque esse vias eorum e corpore excedentium; nam qui vitam turpiter egissent, iis devium quoddam iter esse, a divino domicilio remotum; qui autem se integros ab omni labe servavissent, his ad superas sedes cursum facilem patere. Quibus placitis non modo caeterae ejus opiniones (id quod libri de Officiis absolutissime scripti declarant), sed etiam facta mirifice respondebant; nihil enim aeque oderat, atque illos, quorum vita eum oratione dissentiret. Quam tantam, tamque a patria superstitione alienam in homine Romano, et quidem Augure sapientiam et integritatem admirati quidam recentium saeculorum docti homines, dicere non dubitarunt, se arbitrari, eum, si christianam philosophiam discere potuisset, in eorum numerum perventurum fuisse, quibus nunc ob vitam innocenter pieque transactam arae, templaque statuuntur.

XIII. Hic per omnia libertatem, et Reipublicae utilitatem spectavit; quumque Marcus Cato in summa vitiorum licentia Stoicae philosophiae praeceptis ad res gubernandas uti vellet, aeque vehementem, acrem, inexorabilem praeberet; Titus autem Pomponius Epicuri disciplina perpolitus, usquequaque remissior esset, nec quidquam ultra ageret, quam ut amicos re aut consilio juvaret, ipse a fluctibus abesset; Cicero utraque ratione repudiata, severitatem lenitate, ad quam erat natura factus, temperabat: si minus omnia consequi poterat, eo, quod licebat, contentus erat: amari, quam timeri malebat: tempori cedebat, et in omnibus rebus modum servabat. Ubi vero crimine aliquo, aut injuria premebatur, sua se conscientia sustentabat, cogitans, se optime semper de republica vel meruisse vel cogitasse.

XIV. Praeter caeteros ejus libros multae quoque epistolae Tironis liberti opera ad nos pervenerunt, quarum aliae argumenti gravitate, aliae ingenii copia, quaedam facetiarum lepore praestant. Ex omnibus tamen maximi faciendae sunt commendatitiae, quippe quae summam ejus humanitatem, atque in amicitiae officiis diligentiam et studium declarent. Nam illae, quae sunt ad Titum Pomponium Atticum, historiam quodam modo continent eorum temporum. Sed utinam illa ipsa commentaria, quae de rebus suis composuerat, superessent! profecto nihil optari posset amplius: quantum enim in hoc quoque scribendi genere excelluerit, licet ex eo libro judicare, quo clarorum oratorum memoriam complexus est; quo quidem libro nihil fieri potest in historia perfectius.

XV. Corpore fuit magno, minimeque pingui, utique

procero collo, forma plena dignitatis, tranquillo etiam et sereno vultu, nt facile cuivis excitaret amorem sui. Tenui quum esset valetudine, eam ipse perpetua continentia, et cura usque adeo confirmavit, ut infinitis paene occnpationibus ad extremum vitae sine ullo graviori incommodo sufficere potuerit. Tanti viri caedes non in praesentia solum magnos luctus Romanis attulit, verum etiam postea in eorum memoria, ac prope in oculis quam diutissime haesit, ita ut locus, ubi ea caedes facta fuerat, studiose et cum quadam religione vulgo viseretur. Caesar Octavianus, qui Ciceronem, nt docuimus, in proscriptorum numero esse ingrate permiserat, quum suorum quendam ejus scripta legentem invenisset, isque pertimuisset, arrepto inspectoque libro, reddidisse mox fertur cum his verbis: *Fuit hic omnino vir doctus, fili mi, cum primisque patriae suae amans.* Ita Marcus Tullius etiam ab inimico est virtutis testimonium aliquando consequutus.

HIERONYMI FEDERICOTTII

ROBORETANI

LAUDATIO

HABITA IN COETU LITTERARIO ROBORETANO

LIVIO PRAESIDE

MENTORE, FLAVIANO CENSORIBUS

Qui voluptatibus dediti quasi in diem vivunt, vivendi caussas quotidie finiunt: qui vero posteros cogitant, et memoriam sui operibus extendunt, his nulla mors non repentina est, ut quae semper inchoatum aliquid abrumpat.
C. Plinius Caecil. L. V. Ep. V. ad Maximum.

Amo quidem effuse .... judico tamen, et quidem tanto acrius, quanto magis amo.
Idem L. VI. Ep. XXV. ad Servianum.

I. Quum ad vos hodierna die, sodales ornatissimi, doctissimique, de rebus quibusdam ad Academiam nostram pertinentibus referre statuissem, repentinus acerbusque casus, quo Hieronymum Federicottium aetate, studiisque cum maxime florentem nuper amisimus, quoque omnes gravissime perculsi sumus, fecit, ut pristinum consilium subito commutarem. Etenim existimavi, non modo mei hujusce muneris esse, verum etiam ejus amicitiae, atque adeo familiaritatis, quae mihi cum ipso fuit, ut, relictis omnibus, de tam egregio Adolescente in praesens verba facerem, ejusque laudes, quantum in me esset, etiam ad memoriam posteritatis his litteris

consignarem. Quod quidem etiam eo valere debet, ut et noster dolor paululum acquiescat commemoratione virtutum, quum optime noverimus, mortem bono viro miseram accidere non posse; et caeteri adolescentes exemplum sibi inde sumant, quumque videant, virtuti etiam extinctae honorem apud nos esse, ita ad eam excitentur, ut quod damnum in Hieronymo est factum, compensare celeriter conentur. Neque enim jure queri possumus, coelum hoc nostrum acribus ingeniis carere, sed potius nostra ingenia industriae otium anteponere. Hieronymus autem ut ingenio abundavit, sic praestitit diligentia.

II. Hic quum septimum aetatis annum attigisset, in pagum quendam prope Arcum Oppidum a parentibus est missus, ibique Grammaticen didicit. Sed postea revocatus, Rhetoricae praeceptis in nostro Gymnasio imbutus est, in quo multos alios, qui itidem patriam illustrarunt (1), litteris operam dedisse gloriari possumus. Atque utinam omnes parentes in animum inducerent, sapienter scripsisse Plinium (2), eos nihil honestius praestare liberis, nihil gratius patriae posse, quam si ipsos

(1) In his praecipue numerandi sunt Hieronymus Tartarottus, qui multis abhinc annis decessit, criticus et poeta egregius: Jo. Baptista Graserius, qui in Germaniam accitus, moralem philosophiam, mox historiam litterariam Oeniponti docuit, nunc autem sacram eruditionem profitetur, acerrimo vir judicio, jucundaque natura, orator in primis bonus, neque a Musis alienus; et Gregorius Fontana in Ticinensi Lyceo Mathesis professor clarissimus, cujus de multiplici reconditaque doctrina, atque excellenti ingenio nec pauca dicere libet, nec multa hoc loco licet.

(2) Ita censet Plinius Caecilius L. IV. Ep. XIII. ad Corn. Tacitum, quae tota in hanc sententiam est scripta.

ibi potissimum erudiendos curent, ubi lucem primum aspexerint. Sed plerosque mortales haec insania tenet, ut remotas quasdam, et leves utilitates consectentur, praesentes et solidas negligant. Itaque liberos mature peregrinari cogunt, quod sperant, eos multorum amicitias et patrocinia comparaturos, quum interim quam recte in alieno solo educari, et contineri possint, minus laborent. Ita ne Hieronymo quidem manere in patria licuit diutius. Etenim in Germaniam missus est, atque Oeniponti primum, deinde Salisburgi philosophiae, ac juris prudentiae dedit operam. In quo quidem intelligi maxime potuit, quam rectum, ac sincerum judicium a natura obtineret; quum enim a sexto decimo aetatis anno usque ad vigesimum inter Germanos versatus esset, nihil inde attulit quod postea deponendum fateretur, ac nulla prorsus perversitate infectus est.

III. Jam inde ab ineunte aetate ad excolenda poeticae studia omni cogitatione ferebatur, sed patris severitas nonnihil primo ejus conatus retardavit. Is enim quum bonus quidem, ac liberalis vir esset, sed moribus antiquis, et agri culturae, quam litterarum studiosior, aegre admodum ferebat, filium inutili, ut ipse appellabat, studio tempus terere; saepe etiam operi furtim incumbentem avocabat, atque ab ipso Musarum complexu divellebat. In quo adolescens ingenii ubertate Ovidio persimilis, eadem, qua Ovidius (1), conditione usus est. Patre mortuo, poeticae arti liberius studere coepit. Itaque se totum nostrorum Poetarum optimis, imprimisque Petrarchae,

(1) Noti sunt Ovidii versus Trist. L. IV. El. X.
Saepe pater dixit, studium quid inutile tentas?
Maeonides nullas ipse reliquit opes.

Taxo, et Areosto tradidit expoliendum. Virgilium serius in manum sumpsit, quum jam aliquos in hoc genere progressus haberet. Verum ita ejus pulchritudine confestim captus est, ut non modo nunquam deposuerit, sed etiam secum perpetuo gestarit. Solebat autem singula ejus verba expendere, et cum appositorum vim, tum imaginum venustatem considerare, ac per otium res easdem nostra lingua similiter exprimere conari. Quae consuetudo (1) et optima est, et mirifice ei proderat; neque eo secius quaerebatur, non saepe sibi succedere. Poetarum lectione quum assidue pasceretur, non praetermittebat, quin eos quoque auctores legeret, unde ipsa hujusce artis principia, ac solida praecepta peti solent. Qua naturae, ac studii conjunctione (2) effectum est, ut ipse optimus poeta brevi evaserit.

IV. Hujus omnia fere carmina, quae in adversariis reliquit (nam pauca admodum per occasiones evulgavit) de amoribus sunt, jam diu enim in eum locum res rediit, ut nemo sine his poeta esse posse videatur. Nihil

(1) *Hoc genere exercitationis* (inquit Plinius Lib. VII. Ep. IX. ad Fuscum) *proprietas, splendorque verborum, copia figurarum, vis explicandi, praeterea imitatione optimorum similia inveniendi facultas paratur: simul quae legentem fefellissent, trasferentem fugere non possunt: intelligentia ex hoc, et judicium acquiritur.* Et tamen ejusmodi exercitationem plerique aspernari videntur, dum id unum urgent, ut ipsi auctores habeantur. Hinc illae ineptiae.

(2) Omnino nihil verius pervulgata illa Horatii sententia (in Arte Poet.):

. . . . . *Ego nec studium sine divite vena,*
Nec rude quid prosit video ingenium; alterius sic
Altera poscit opem res, et conjurat amice.

ibi tamen reperias, quod ab ea morum integritate, qua plurimum ejus vita commendabatur, transversum unguem recedat. Neque enim erat ex eorum nnmero, qui putant, castum esse decere poetam ipsum, versiculos tum denique habere salem, si molles et parum pudici sint (1). Quae opinio quam stulta sit, vel ex eo intelligitur, quod sapientes homines de cujusque animo, ac moribus ex oratione, atque ex scriptis judicare consueverunt, quum et Graeci in proverbio habeant (2), ut vivat, quemque etiam dicere. Multa scripsit ad Petrarchae exemplum, ita feliciter, ut quum ea nostrae Academiae principibus, qui tunc erant, ostensa essent, statim complecti hominem, atque in coetum nostrum adsciscere properarint. Quem ille honorem tanti fecit, ut nullum postea conventum praetermiserit, quin et interfuerit, et novi etiam aliquid recitarit. In quo non suae ipse magis volnntati satis faciebat, quam nostrae cupiditati. Nihil enim gratius accidere nobis poterat, quam socium intueri, qui sua diligentia majorum nostrorum vetus exemplum renovaret; nihil porro jncundius, quam eum socium audire, qui et se, et patriam, et totum hunc coetum suis carminibus illustraret. Cujns suavissimam vocem quum recordor, ejusque dulcedine, qua saepius hoc ipso loco permulcebamur, nos in posterum carituros esse

(1) Catulli sunt verba: (Carm. XVI.)
Nam castum esse decet pium poetam
Ipsum. Versiculos nihil necesse est;
Qui tum denique habent salem, ac leporem,
Si sint molliculi, ac parum pudici.

(2) Itaque recte, ut solet, Marcus Tullius Libro de Officiis primo: *Providendum* (inquit) *in primis, ne sermo vitium aliquod indicet inesse moribus.*

considero, ita profecto afficior, ut omnis jam mihi hilaritas, omnis amoenitas sublata esse, atque ipsae adeo Musae tam acerbo ac luctuoso funere perculsae, in omne tempus conticuisse videantur. Quibus quidem usque adeo morigeris utebatur, ut nullum poeticae scriptionis genus tentaverit, quod non ipsi vel optime successerit.

V. Duo tamen Lyricae poesis genera in primis feliciter excoluit, Pastorale scilicet, et illud, quod tristioribus imaginibus, atque acribus sententiis continetur. In primo tamen erat crebrior. Nam quum saepissime in eum fundum veniret, quem prope Iseriam ad Athesim longe amplissimum habebat, ipsa illa laetissimi agri amoenitate excitabatur ad amatorios quosdam pastorum lusus comminiscendos, atque eleganti epigrammate explicandos. Itaque talium epigrammatum haud exiguum in adversariis numerum reliquit, quibus nihil venustius, nihil concinnius fingi potest. Quum tamen natura esset ad tristitiam proclivior, neque eo minus nobiles spiritus gereret, etiam in altero illo genere se interdum exercebat, ita egregie, ut ei uni videretur studuisse. Idem Tragoediam poene puer fecit in Iphigeniae Agamemnonis filiae sacrificium, ut in illa aetate, sane probabilem, quam quum postea relegisset, ac melius aliquid se posse sperasset, aliam aggressus est, peridoneo argumento, quod a Justino sumpserat ex historia Demetrii Antigoni fratris, et Arsinoes uxoris Agae regis Cyrenarum. Sed nescio qua re deterritus, non perfecit.

VI. Novissime ad opus totius poeticae difficillimum maximumque animum contulit. Etenim epicum poema Torquati stylo exorsus est, in quo Herois partes dabat Marco Antonio triumviro, cujus cum Cleopatra amores

celebrare instituerat. In quo eum quidam reprehendebant, quasi Heroem minus scienter elegisset, ignari videlicet Poetarum licentiae, atque artis. Caeterum quum ejus poematis duos illos, quos jam absolverat, libros excellenter, ut solebat, in nostris conventibus pronuntiasset, nemo unus exstitit, qui non eos vehementer sit admiratus; erant enim omnibus ingenii, et doctrinae luminibus distincti, referti etiam cum praeclaris dictis, tum variis, magnisque sensibus, ac doloribus, nec tam mehercule descriptionibus, quam picturis. Itaque omnes confidebant, fore, ut si reliqua ad illud exemplum perfecisset, limaque expoliisset, magnam tota Italia laudem consequeretur.

VII. Ad haec nonnulla etiam scripsit teneriori quodam ac dulciori stylo, et qui meros, ut ita dicam, amores spiraret: cujusmodi sunt carmina quaedam de conspecta sibi apud mercatum Hyella, de Satyris uvas rore madidas sub auroram carpentibus, de puellis peregre euntibus, de die natali amicae suae; et Ecloga, qua perbelle imitatus erat Virgilii Pharmaceutriam, et quae postrema fuit ejus, et tamquam cycnea cantio. Ac ne a ludicro quidem et jocoso genere omnino abhorruit, sed alio eum natura impellebat. Si enim characterem ejus generatim aestimare volumus, erat poeta acer, ingeniosus, imaginibus creber, motibus vehemens, descriptionibus praecipuus, tota dictione copiosus, splendidus, vividus, sic, ut nihil, praeter unam fortasse limam, desiderares. Habebat autem suorum scriptorum judicem sane doctum, et candidum virum clarissimum Clementem Baronium, quem hic praesentem intuemur, cujus ex quotidiano usu magnas utilitates in litteris capiebat. Nec

vero ligata solum oratione perite usus est, sed etiam soluta; nam et multas epistolas ad me scripsit, cum judicii ac prudentiae, tum elegantiae plenas, et in hoc ipso coetu sermonem de vera Gloria praeses dixit egregium. Quamquam non negaverim, ipsam ejus orationem habuisse quiddam a fidibus, unde Musarum discipulum facile posses agnoscere.

VIII. Germanicam Linguam apprime, ut homo Italus, callebat: quod in ejus virtutibus non commemorarem, nisi ille insigne quoddam hujus rei specimen dedisset. Nam quum in Germanicis Hallerii poematibus pulcherrimam Oden legisset, qua summus ille medicus, idemque mathematicus et poeta uxoris suae mortem miserrime deflebat, eam Italicis versibus adeo egregie interpretatus est, ut (quod et rarissimo contingit, et perfectae laudis loco habetur) nequaquam ex aliena lingua vertisse, sed ipsemet conscripsisse videretur; quum praesertim vix nobis persuaderemus, tantam, tamque flexanimam sententiarum suavitatem in illius sermonis duritiam posse cadere. Idem Gallicae Linguae studiosus fuit quam qui maxime, ut ea et scriberet commode, et loqueretur. Neque tamen quum Gallicos Scriptores, maximeque Historicos assidue lectitaret, Italos propterea despiciebat; quod quidem permulti hodie faciunt insolenti quodam domesticarum rerum fastidio. At ille etiam rectissime negabat, Gallorum poesim esse cum hac nostra conferendam. Non praetermittam autem hoc loco, Hieronymum, nisi mors sua consilia intercepisset, ducturum fuisse uxorem puellam et ipsam Gallicam, summo genere natam, Follartii filiam, ejus, qui a Galliarum Rege ad Bavariae Ducem legatus est. Quod si ei contigisset, merito gloriari

potuisset, se uxorem habere, quae et indidem oriunda esset, unde et Laura Petrarchae amica (nam ejus pater Avenconensis est,) et ex ea familia, in qua magnus ille Follartius (1) exstitisset, qui praeclaris commentariis Polybium illustravit.

IX. Oeniponti quum esset, Musicae operam dedit, magistrum nactus peritissimum, et plane nobilem. Quam artem postea non deseruit, sed in Italiam ad nos reversus, magis etiam excoluit, tantumque industria profecit, ut et chelyn optime pulsaret, et cantaret dulcissime. Quo fiebat, ut omnibus esset in deliciis, ac nullus in urbe paullo illustrior haberetur coetus, quin prae caeteris diligenter invitaretur, quum praesertim ad haec bona et commendatio oris accederet, et suavitas orationis. Nec vero dubito, quin etiam in Pictura, qua puer praeter modum se delectari ostendebat, magnos progressus facturus fuerit, nisi praeclarae ejus indoli paterna obstitisset negligentia. In quo quidem et saepissime et gravissime a parentibus peccatur, quod aut non attendunt, cui rei potissimum liberi studeant, aut etiam si id faciunt, eorum tamen studiis, quae profecto natura ipsa ingenuit, non obsequuntur. Quod si facerent, multo praestantiores viros in omni genere haberemus.

(1) Hujus viri meminit Thomasius clarissimus Galliae Orator, in Commentario ad Laudationem Mauritii Saxoniae Comitis, Semigalliae, et Curlandiae Ducis. *Mauritius*, inquit, *anno MDCCXXXI. amicitiam iniit cum Equite Follartio. Is rei militaris a puero studiosus, vitam pugnando, cogitandoque transegerat. Erat autem miles consilii plenus, quique cum summa audacia parem dexteritatem conjungeret. Reliquit Commentarium in Polybium, ex quo cognosci potest, quanta in eo esset talium rerum scientia, et quam singularis meditandi vis.*

X. At Hieronymus usque eo scilicet in Pictura progressus est, quoad licuit homini cum a magistris, tum ab exemplaribus imparato; neque tamen si minus ipse excellenter delineare poterat (certe enim delineare poterat), non recte de alienis operibus judicabat; qui quidem usque adeo natura usus est facili, ac munifica, ut ad omnes artes libero homine dignas ab ea factus fuisse videretur. Itaque etiam Architecturae studio mirifice flagravit, ad eamque cognoscendam libros pulcherrimis formis instructos diligenter conquisivit. Quibus rebus fiebat, ut domos suas expolire, atque exornare quam elegantissime studeret, ac dummodo lautam supellectilem, bene pictas tabulas, et ejusmodi alia domi cerneret, nulli sumptui parcendum putaret.

XI. Ruri libentissime habitavit, eamque villam, quam Iseriae habebat, omni ornatu instruxit. Quo simul atque se contulerat, reviviscere, ac beatus sibi esse videbatur. Nam et poeticae et musicae liberius incumbebat, et, ubi satietas eum ceperat, agros tum delectationis, tum fructus caussa obibat. Neque enim quod litteris impensius esset deditus, propterea minus attente rem familiarem curabat, minusve rei rusticae peritus, aut diligens erat. Quod ad caeteras ejus laudes attinet, fuit lenis, simplex, prudens, modestus, urbanus, elegans, idemque et conviva commodus, et benignus hospes. Hic, ubi peregre abierat, nullam urbem ingrediebatur, quin situm, aedificia, civium mores, atque artes, et quidquid a nostra consuetudine abesset, diligentissime notaret, ac reversus quae nobis vel ad fructum, vel ad voluptatem aptissima putaret, paullatim inducere studeret. Quod erat signum non vulgaris in patriam caritatis.

XII. Statura fuit justa, optimo et concinno habitu, colore albo, nigris et vegetis oculis, forma non solum liberali, sed etiam venusta, canora voce, gestu etiam splendido, et, ut sic dicam, generoso. Diem obiit anno MDCCLXXVI v. Idus Decembris, circiter annos triginta quatuor natus, quum XLV dies ipsos decubuisset, nec medicos quorum artem Petrarchae exemplo (1) aspernabatur, mature adhibere voluisset; quam in rem ipse pridie, quam decederet, per mentis alienationem distichon fecit hac sententia, se, dum mortis ministros fugeret, in mortem ipsam incurrisse. Hic inter paucos numerari potest, quos prius discendi tempus, quam cupiditas defecit.

(1) Vide de hac re Volumen quintum Historiae Litterariae Hier. Tiraboschii V. Cl., ubi agitur de Petrarcha.

COMMENTARIOLUM

DE ADAMO CLUSOLO

In summam proficit.
QUINTILIAN.

I. Adamus Clusolus Francisci filius in cognomine pago non longe a Roborcto ortus est, translato huc postea domicilio. De hoc dubito quemadmodum exponam: multae enim industriae fuit, ingenii mediocris, ut nec absolute laudari possit, nec silentio debeat praeteriri. Adolescentulus Senas missus in disciplinam Sodalium Ignatianorum, qui Ptolaemejum Gymnasium moderabantur, cum humanitatis, philosophiae, geometriaeque studiis liberalium palaestricarumque artium exercitationes ita conjunxit, ut magistri admirarentur, inviderent aequales. Jam optime uti equo, luctari, vibrare hastam, contendere gladio; saltare etiam scitissime, idque privata quoque in scena personatus paene ad generis ejus artificum mobilitatem. Qua re inter Collegas, quibus ab armis nomen est, minime pervulgato honore est allectus. Quamquam autem et haec omnia, et severiora quoque praeter aetatem impense coleret (nam nec prudentiam juris aspernatus est, et in theologia specimen rite dedit); tamen ad pulcherrimas artes duas animum maxime appulit, poeticen, et picturam: vi quadam insita, an aliorum exemplo, et opportunitate urbis.

II. Graphidem certe decennis, ac deinceps inde omnem colorandi rationem didicit ab Antonio Bonfilio, cujus peritiae non parva, praecipua quidem modestiae laus erat, quod non sua, sed probatissimi cujusque exemplaria discipulis proponebat. Nec vero ante Senis discessit, quam carmina quaedam vulgavit ad Fabium Sergardium, quibus palmam tenere ingenuarum artium picturam ostendit. Quo libello in extremo egregia de se testimonia adjecta sunt Senensium Poetarum, inter caeteros Francisci Corsettii, viri clari (1). Triennium impertiit et musicae, cecinitque organo mobilibus quasi tessellis instructo, per quas distenti paxillis respondent nervi. Verum tam fugacium deliciarum artem postea omisit, duraturis delectatus. Assumpsit autem Pictoribus apprime utilem architecturae scientiam, brevique experimentum ejus edidit Senis, exposito in magna frequentia ligneolo theatro qnod ipse excogitasset duplici scena, quarum altera ornatum haberet aulae regiae, altera amoenissimam silvae speciem.

III. Talem in modum positis rudimentis, tertium annum agens et vigesimum, in eam urbem venit, quae quidquid ubique miraculorum est, nna complectitur: ibique, Laurentio Columna summo magistro Equitum Stephanianorum, quem condiscipulum habuerat, benigne diaetam praebente in domo sua, ita quinquennium est commoratus, nihil ut reliqui fecerit, qnod ad se in eo genere expoliendum pertineret; summorum praesertim artificum familiaritate nsns, Conchae, Masuccii, Mengsii: Battonii vero etiam magisterio. Itaque statuas antiquas, maxime Graecas, quo nullum valentius vel robustis ingeniis pabulum, assidue lustrare, formasque earum

gypseas transcribere, atque ipse plastice imbui: simul et picturis procerum artis ejus intendere, sensimque ad inventionem accedere gradibus; nec eo secius quidquam imminuere ex studiis litterarum. Quae quidem postea magis magisque auxit, quum eodem iterum atque tertium reversus esset. Nam ut ad proficiendum opportuna colligeret undique, ea caussa sibi alias quoque Italiae praeclaras urbes circumeundi fuit. Quod quum et nobilitate ex omni Itala non paucos haberet jam ab illo Senensi contubernio sibi deditos juvenes, et vero magnam voluntatem optimatum Romanorum consecutus esset, Albanorum in primis, Burghesiorumque, apud quos et rusticari erat solitus: ideo fiebat, ut, amicitiis communicatis, quocumque veniret, usu atque hospitiis hominum amplissimorum floreret.

IV. Atque adolescentia quidem per haec transacta, tandem se in patriam recepit, ubi octo libros primum emisit de arte pingendi metro Alighierii scriptos ad Petrum Corrarium Patricium Venetum; optimae sane, et ex cognatis quoque artibus petitae doctrinae plenos, stilo eo, qui pictorum non ferme doctissimorum intelligentiae esset accommodatus. His commentaria subtexuit opificum, operumque excellentium, maxime quae Romae exstant; addiditque Lyrica nonnulla haud alieni fere argumenti, quae magnam partem in Sodalium Arcadum Romanorum conventu ipse legisset. Quae quidem scio, Metastasio, Lamioque visa esse non contemnenda (2). Venuste scilicet, et ad naturam apte exprimitur quodam carmine oratio montanae puellae urbanum conclave excultum pictura saltuum, pastorumque, et pecorum primum ingressae, ac multimodis dubitantis, verane videat, an

somnia, an praestigias; mox, animadversa proelii effigie, aufugientis.

V. Ceterum Desiderati Pindemontii amici sui libero, qnod elicuerat, jndicio impulsus, totum poema ita postea retractavit, ut in quatuor libros coarctaverit, quibus Deam Pictnram loquentem facit, sibique alumno per artium sacraria, quae in Urbe sunt, circumducto absolutissima quaeque monstrantem. Sed et multa ex Historicis, ac Poetis in pingentium nsum ad calcem astruxit, illud quoque interponens, qnibus quaeqne res insignibus ac notis sit declaranda, translato huc scilicet illustrium nominum indice (3). Quem librnm Collegio Lucano Pictornm dedicavit: legiturque in Actis litterariis Romae editis epitoma ejus a Bonio Equite, domo Cortona, homine perito, confecta, omnino perhonorifica (4). Ipsi autem Collegae ob id factum Clusoli effigiem, scilicet ipsius manu, in eorum aedibus juxta ceteras posnerunt (5). Ac velim, qui talibus in rebus intelligunt, prooemium qnoque operis diligenter legant, in quo Fresnoji, et Vateleti perversa quaedam docentium error coarguitur prudentissime. Porro quanta hnjus esset cupiditas etiam ceteros inflammandi, vel ex eo judicari potest, quod separato volumine plerasque Italiae urbes a Tridento Neapolim usque complexus, quae in quaque pictorum, sculptorumque, et architectorum opera maxime visenda sint, in peregrinantium gratiam exposuit, peculiarem talibns libris jejunitatem auctorum emendans notitia (6).

VI. Neqne tamen omni mente in his versabatur sic, ut non et alia longeque diversa subinde attingeret; qui ne scenicis qnidem scriptionibus abstinuerit. Nam

cothurnata quoque publicavit tum Cantica, tum Exodia, Catharinam in primis, et Fridericum cognomento Magnos, atque hujus Fratris Filii, qui nunc in regnum successit, Conjugem, nedum totam Austriacam Domum, fere sub Heroum, Deorumque persona celebrans; nec sine aliquo fructu ipsorum benevolentiae (7). Ad hoc Comoedias tres perscriptas reliquit, ex quibus tamen dumtaxat unam agnovit, cui nomen est *Fallaciae*, rejectis reliquis, si pauca excipiantur, nihilo fortasse frigidioribus (8). Tragoedias vero sex; *Atyn* Croesi filium ex Herodoti historia, *Antoninum Caracallam*, *Virginiam*, *Sabinum* affectati sub Vespasiano imperii reum, *Brutum* expulsorem Tarquiniorum, et *Arrigum*, qui in Corradi locum rex Germanorum factus est. Quae quidem recte continebuntur, tum quod parum est, versus locosque decoros interlucere, nisi et mores adsint etiam inter similes proprii, et cum fecunda inopinatis rebus simplicitate acer spiritus; tum quod non alio in genere superbius se effert hujus aevi fastidium, erectis ad id cum maxime studiis, et obvia optimorum comparatione. Agglutinavit et Exodium musicis sociandum modis, haud ignobile illud quidem, quod *Herculanum* vocatur, inductis videlicet Genio Siciliae, Virtute, et Labore, quorum praesidio erutas e specubus, fremente Oblivione, Herculanenses reliquias Antiquitas, Artesque laetentur. Ac necesse nihil est dicere, ad Metastasii canoram volubilitatem haec esse fusa: quam ille etiam in tragoedia consectabatur, nescio quam probabili consilio.

VII. Minuscula alia exaravit complura non vincta solum (9), sed et soluta oratione, suntque pleraque in medio: velut de justa gloria etiam Christianis hominibus

expetenda (10), et de admittendis in parva quoque oppida theatralibus, utique pudicis ludis, adversum sinistra quaedam ingenia, quibus supercilium pro virtute est (11). Item de Clusolarum pago: qua in epistola Antonium quoque Clusolum attigit eum, qui terrarum situs ac nobilissimarum ab orbe condito stirpium propagines enumeravit (12). At volumen illud non praeteribo, quo accuratissime tradidit qua ratione nobiles pueros, puellasque institui oporteat, et quae sint honestissimo cuique vel praestanda officia, vel studia potissimum suscipienda (13). In quo ille non philosophorum acumina, sed veritatem, utilitatemque erassiore quasi minerva aequutus est, nec mediocrem foris adeptus laudem, utique conciliante argumento; id quod Acta litteraria, quae in ulteriore Italia exierunt, satis declarant (14). Verum in eo reprehendendus est, quod leviora nimium multa admiscuerit. Recte autem lectissima attexuit sapientum dicta ad bene vivendum pertinentia.

VIII. Extremis temporibus totum se ad domesticorum investigationem convertit monumentorum, extuditque non parvum munus. Etenim Hieronymi et Jacobi Tartarottorum, ac Clementis Baronii, litteratissimorum hominum, Commentarios Antiquitatum Lagarinarum quodammodo excipiens, et ad hanc aetatem deducens, locorum primum sedem, ortum, juraque sigillatim explicuit; deinde omnia, quaecumque, ab illis non fere commemorata, hoc in agro reperirentur, elogia sicuti in capita digessit, iisque singulis singularum familiarum originem cum celebrium virorum, rerumque gestarum mentione subjecit. Hujus autem operis editio post ejus demum obitum absoluta est: quod opus si minus historiam

exhibet graviter, religioseque contextam; at spissae nescio cujus silvae instar habet, unde, magno quidem cum delectu, aliquando sumant quibus scribendae historiae vires suppetent, nec civium gratia erit fide antiquior. Utinam modo auctoritatem publicorum actorum ne neglexisset; sed aut illa attulisset ipsa, aut certe ex quibus quidque liqueret, indicasset (15).

IX. Omnino neque sensum animi aperte exprimendi ars Clusolo defuit, neque eruditionis quaedam supellex. Ceterum oratio ne vitiis quidem jucunda; non facta, non pressa, sine vinculis: dispositio rerum turbatior, multum ineptiarum. In carminibus vero abunde facilitatis, nervorum atque elegantiae parum: veterum quidem, sine quibus haec jacent, vestigium prope nullum. Tum eadem subinde, aut similia: imagines non saepe elaboratae, rari motus, sic, ut non inepte cavillatus sit quidam ex ejus stilo facile conjici potuisse, subito (ut dicemus) casu aliquando exspiraturum. Neque multo ille quidem commodius pingebat, quam scripsit, nisi quum aut animalia coram intuens effingeret, aut aliorum describeret argumenta: quorum illud sollertissime, hoc tanta fide faciebat, ut quum peregre etiam commorans, plura ejusmodi ἀπόγραφα in patriam misisset, incredibilem concitarit exspectationem sui. Idem sine exemplo quum pingeret, mirum quantum a monitis ipse suis abhorrebat, minus respondente natura scientiae. Certe nec symmetriam custodiebat, mensurasque magnopere, et corpora rigidius posita paullo etiam acrius circumlinebat. Quamquam fatendum est, satis magnam esse Clusolo partam laudem utravis earum rerum, quas modo diximus, quum vel altera multi nobilitati sint.

X. Nullum autem non genus picturae exercuit. Nam praeter aves, quadrupedesque; et homines repraesentavit etiam iconicos, et topia, et flores, et obsonia. Itaque sibi operibus domi pinacothecam instruxit, in qua cum picturae in membranis lineares nonnullae, partim etiam duratis in virgulas, aut aqua dissolutis coloribus factae; tum multae sunt ab optimis auctoribus tabulae, quibus quum fieri nihil possit curiosius, seorsum aliquot percurremus. Sunt ergo in his et Apostolorum vultus, in quibus venas, rugasque numeres, canos etiam promissae, crispaeque barbae. Petri vero paene gemitum exspectes. At Iudam ad Germani similitudinem ipse deformavit, capillo rufo, ore unice improbo. Nec sileri decet Christum infantem dulci positum somno, sane floridulum, inventore Guido; ex ejusdemque archetypo Christi Matrem, nescias, turbatiorem, an fortiorem. Franciscum quoque Assisinatem orantem, vultu ardorem animi, et duritiam fatente vitae; digna etiam colorum austeritate; qui Vannio Senensi addicitur: et aligeri pueri caput Baroccisna oblitum suavitate.

XI. Sed anatomices diligentia, ac luminis artificio spectantur praecipue tres tribus tabellis viri nudi. Primus averso capite, in latus incubat saxo, alterum alteri crus imponens, transverso lucis afflatu excitatior: mirificeque intelliguntur etiam quae tali se positu sinuant, et occultant. Alter aversus prope totus, pariterque insidens rupi, anguem baculo proterit, candicantium musculorum ambitu, atque eminentia et ipse insignis, mollissimo quidem umbrarum quamquam nigriorum transitu. Torosior, tertius, flantibus ventis, ruenteque grandine, ex adverso ad foculum sedet, vesteque caput ac manu

operit, ita curvato, et umbilico tenus oblique obscurato corpore, ut porrigi extra tabnlam videatur: eaque cogitatio Carolo Maratto tribuitur, nam de snperioribus nihil constat. Cum his certant ejusdem fortasse artificis Hercules p ensum trahens, reflexa in humerum cervice, conspicuoque immanis tergi robore; et Tarvisani Vigilantia facem ad horas admovens, ac paene respiciens ad canentem gallum, splendescentibns per circumfusas tenebras oppositae manus extremis digitis, pectoreque, et parte oris. Omphalen mitto egregia forma, cum clava, crine fluxo, dependentibusqne leonis exuviis, et inter papillas nodatis, Altieriae principis feminae imagine: item quinque Sensus, Tempus cum juventate, aliasque numerosas, et magnae curae tabnlas.

XII. Jam inter jocos (gryllos Antiqui vocabant) quos mnltos pinxit, eminet e Caracciorum schola Rusticus petasatus, posita mensa, phaselorum cochlear magno hiatu appetens, perridicula ingluvie. Proximum huic dixerim adolescentem scissili centone semitectum, perustumque, inserto castanearum corbulae brachio: adest mater vetula nonnullas eas corio spolians quasi exploratura: ipse interim catello blanditur, procaci fratre se neqnicquam vexante. Salvatoris Rosae leporem haec praeferunt; ejusdemque creditur stratus in umbra pastor tibias inflans, auscultante cane. Incertum habet auctorem, Panllo quidem haud dissimilem, grex fratrum sororumque hispanico amictn, appositis bellariis, gustantium, invicemque alludentium, festivissimo consanguineae caritatis spectaculo. Est autem soror natu maxima pomnm manu praetentans, quod fraterculo det, vultu adeo modesto, venustoque, ut nihil supra.

XIII. In terrestrium, maritimarumque regionum varietatibus Tempestam fere, Pussiniumque et Brillium spectavit, quorum praesertim manu adornati essent aedium, quas Romae incolebat, parietes. Sane e Brillio expressa existimatur tabella, in qua praerupto est nemore fugiens aper sectantibus molossis. Arborum frons, implicatioque qualis in Sadelerii diagrammatis. Conspicienda praeterea Hiemis facies nivali caelo, Tempestas navigium jactans cum fulmine, et Noctes duae, altera hebetiore luna, illustri altera. Nonnullas tamen viridiorum aedificiorumque picturas ad certorum locorum veritatem ipse exegit; ex quibus sunt fanorum semiruta, villarumque Romanis collibus insidentium: Lagarinae quoque vallis blandisimi ad aspectum situs.

XIV. Pecudes quidem nunquam non ex vero, ut praediximus, certe quam rarissime ex aliena imitatione imitatus est. Idque quam ei successerit, declarant praeter variam, prosperrimeque expictam venationem, columbi in loculamentis, capella cubans speciosissimis villis, accipiter mortuus, ita molli pluma, ut spiritu horrere videatur, anas transfixa collo pendulo, adhuc cruenta, gallus gradiens altero verissime sublato pede, et matrix pullos producens, quorum alii herbulas carpunt, alii in alveoli margine exsultant, simulacra eorum reddente aqua. Sunt et volucres versicolores, et canes venatici maculosi, jacentes diverse, et feles aspectans, ludentibus circum catulis; multaeque insuper id genus argutiae, quarum ipsa humilitas in lenocinio voluptatia est. Finxit et ex argilla formas, cerussam oleo dilutam coctis inducens, quo marmor aemularentur; imaginesque clarorum virorum complurium domi suae dedicavit: ex his

Bernardini Perfecti, et Marci Antonii Zucchii, extemporalium poetarum, quem utrumque et audierat saepe, et coluerat. Porro Zucchium penicillo quoque exscripserat ex memoria; itemque Laurentium Maurocenum IX. virum aedi Marciae procurandae. Quod quidem non multis pictorum contingit, absentium idola in potestate habere.

XV. Fuit autem Mauroceno cum primis carus, et Corrario ei, quem supra nominavi. Scipioni vero Burghesio Purpurato sic, ut tantus vir, nunquam dum vixit, secum per litteras identidem colloqui destiterit. Hunc jamdiu Clusolus bonorum suorum haeredem instituerat, ea lege, ut ex eorum reditu annuo in perpetuum pueros tres aleret, qui adamatis ab se se artibus darent operam. Verum tam liberalis voluntas praepostera Scipionis morte disjecta est. Ille ipse praeterea Lambertinus, qui documentum fuit non minus eruditis viris doctrinae, quam Pontificibus maximis sapientiae, quum ab eo versiculos accepisset (16), codicillos eidem misit per M. Antonium Columnam Praepositum sacrae Domus, quibus in comites domus ejusdem, equitesque calcari aureo honoratos ipse, posterique ejus referrentur (17). Exstant et Friderici Magni plures ad eum epistolae gallico, ut solebat, sermone prope familiariter scriptae, unica post Caesarem Octavianum humanitate. Ex quibus duas, tresve latine conversas subjeci: *Redditae mihi sunt, Clusole, litterae tuae officii plenae cum exemplis duodecim ejus libri, quo picturae leges explicuisti, et cum tabella, ex qua perspicerem quemadmodum eas ipsas in usu habeas. Itaque tibi pro observantia in me tua gratias ago. Quod superest, Deum quaeso, ut te incolumem servet.* Et

rursus: *Per mihi gratum accidit, quod mei Fratris Filii uxori, jucundissimae puellae, facilem partum sis poemate gratulatus. Quod nullus dubito quin egregium sit. Ego tibi, Clusole, Deum velim propitium.* Et postquam id ipsum accepisset: *Perlatum ad me est poema tuum de puero recens nato. Porro scito, somnio illo, quod a. d. XII. cal. Majas somniaris, me esse delectatum. Reliquum est, ut agam benevolentiae tuae gratias, Deumque precer, volens, propitius sit tibi* (18). Sed et regiae mox Puerperae nomine separatim actae sunt Poetae gratiae ab Henrico Cattio, secretiore scriba, amantissimis verbis (19). Ceterum Imperator quoque Josephus Augustus, quum Roboretum, Princeps Juventutis etiam tum, venisset; permisit ei, ut in conspectu publice epulantis, unum, aut alterum epigramma in honorem sui pronuntiaret.

XVI. Quae idcirco diligentius sum exsequutus, quod in hoc maxime intellectum est quam vere illud feratur, suis quemque civibus sordere plerumque, sive aemulatione, seu quod praesentia virtutes elevat, detegit vitia, quorum insectatione paulatim etiam illae obruuntur. Ac neque principes defuerunt, qui lautissima apud se officia ei offerrent. Quos inter idem ipse Fridericus tablinis eum regiis, apparatibusque praeficere, ac liberalium toto regno procuratione studiorum honestare aliquando cogitavit, hominis sensu benigne per Cataneum exquisito, qui Regis negotia tunc Venetiis administrabat (20). Verum hic omnia constantissime recusavit, contentus talibus de se judiciis in umbra frui, ut pote alioqui cupidior gloriae, minimeque a titulorum insania remotus.

XVII. Clusolinum secessum, in quo herediolum

habebat, olim frequentavit, exornavitque ejus pagi aediculam nonnullis tabellis, ex quibus una commendatur nota quadam antiquae severitatis. Est autem Emmauntica Aguitio. Neque vero ille mercede unquam pinxit; quin et plures docuit gratuito. Cibi, somnique minimi, totos dies, magnamque noctium partem in utriusque artis alterna tractatione exigebat. Qui quidem tantum silentii studiis suis deberi existimabat, ut lignarium fabrum e proximo perstrepentem de ea re in jus vocarit: secundum quem quum Praetor ex tabella pronuntiaret, haec inseruit non infacete: *se Poetam maximi facere; verum ei esse auctorem, ut quoniam malleorum strepitum, serrarumque stridorem ferre non posset, discederet in aliquas solitudines: aut si nullae satis mutae viderentur, mirifico illo equo, quem Vatibus praesto esse dicerent, ad Epicuri intermundia evolaret.* Quae una perdiu tota in urbe fuit fabula.

XVIII. Ceterum carminis aliquid scripturo mos erat, ut id ipsum commentaretur inambulans, claraque prosequens voce, ac totius paene corporis jactatione. Quibus rebus multi dum se divinitus furere arbitrantur, nihil aliud quam furunt. Idem impetus etiam quum aliis recitaret: in quo se valde amabat. Recitavit autem saepissime in auditorio Sodalium Roboretanorum; quo in numero fuit scilicet. Cum amicis longinquis commercia epistolarum diligenter exercuit, maximeque cum Metastasio, et Cignarolio: praesentium vero consuetudine ita est usus, ne tamen implicaretur ultro citroque officiis, vel metu interpellatorum. Facetus, quamquam interdum videri vellet, minime fuit: at plerumque etiam inter laetos jocantesque tacitus, et in suis versibus totus; eratque

apud ignaros in risu et contumelia prodeuntis quoque defixa frons, cultusque obsoletior. Quae tamen illum non affectare constabat.

XIX. Tenacior vulgo habebatur; at quibus nota res ejus familiaris erat, frugi appellabant. Et idcirco quidem, quo remissius agere cum iis posset, qui sibi deberent, inanes sumptus circumcidebat, ac neque spectacula obibat, neque ludebat omnino alea. Quod ipsum tamen parsimoniae genus ut honestissimum, ita in poeta rarissimum est. Illud vero commune ei cum ceteris, praesertim non optimis, quod sibi optimus videbatur, nullaque magis laedebatur re, quam si quis unum ejus versum ultro reprehendere ausus esset. Verum idem neo palam jactabat sua, nec temere de alienis quid sentiret, aperiebat, innoxius pariter lingua, atque stilo. In quo etiam quam religiosus fuerit animus, indicio sunt libelli ejus sanissimis referti sententiis: quam vero non modo ingenui, probique mores, sed etiam casti, ac verecundi; hoc satis ostendit, quod flagitium nullum nec pinxit, nec cecinit, ac ne amores quidem contra consuetudinem poetarum.

XX. Repentino oppressus morbo, statimque alienatis membris, mente quidem integra, recteque ad migrandum instructa, intra dies paucos exanimatus est. Obiit ipsis Calendis Juniis anno MDCCLXXXVII. annos natus novem et quinquaginta. Corpore fuit nec procero, et pingui, rotundo vultu, aspersoque notis pustularum, quas in Europam Arabes importarunt; colore aquilo, caesiis oculis, et iis quidem segnioribus, capillo subnigro: conspiciturque imago ejus verissima ab semet efficta, habitu sedentis ad machinam, miscentisque circumposita disco pigmenta.

XXI. Hic patriam dilexit unice, quantumque situm in se fuit, dedit operam, ut eam omni ratione faceret illustriorem. Quo magis et aequi et grati tot ejus vigiliis esse debemus, atque illud demum reputare cum animis nostris, haud ferme ejusdem esse labori non parcere, et genio abundare. Verum ut satius est Plinii Caecilii judicio, in una aliqua re excellere, quam in pluribus mediocriter versari; ita versari in pluribus mediocriter, si non possis in una aliqua excellere. Qui quidem eximius vir quadam ad Restitutum epistola professus est, se omnium, qui aliquid in studiis faciunt, veneratione etiam, admirationeque propter rei difficultatem duci solere. Quod idem Mengsium illum, Raphaelis aemulum, de pictoribus crebro usurpasse auctor est Blanconius. Quare hos, quaeso, sequamur potius, quam eos, qui quum quemquam laudari, nisi summa assequutum, indigue ferunt, suam ipsi, non praecipuam prudentiam, sed vel ridiculam morositatem, vel ignavam malignitatem produnt.

ANNOTAZIONI

(1) *Componimenti poetici sopra la pittura trionfante di Adamo Chiusole ec. in Siena,* MDCCLI, *per Fr. Rossi. — Varj componimenti poetici in lode dell'Autore.* Corsettii Epigramma adscripsimus.

Signor, da che su l'Arbia in fra la schiera
D' eccelsa gioventude il nido avesti,
Dal confine d' Italia a noi traesti
De l' antica virtù l' immagin vera.
Arte, senno, valor, fede sincera,
Spirto, grazia, onestà, pregi son questi,
Per cui dal suol, carco d' onor dovesti,
Com' io ti vidi, andar di sfera in sfera.
O con franca trattar man ti piacesse
Armi, o pennello, o cetra in Elicona,
O presto ne le danze il piè scorresse:
Felice Adam, ciascun dicea, cui dona
Tante virtudi il ciel, ch' una sol d' esse
Sul Tebro avrebbe, o su l'Alféo corona.

(2) *Dell'Arte pittorica libri* VIII *coll'aggiunta di componimenti diversi del Co. Adamo Chiusole ec. in Venezia* MDCCLXIIX. Vide Ephemerides Florentinas sub id tempus ab Lamio editas. Metastasius ita ad Clusolum scribit quadam Epistola: *Dell'opera sua scorsi subito impazientemente non solo i luoghi accennati da lei, ma molti e molti altri con quel disordine, che naturalmente inspira tutto ciò, che avidamente si gusta: e dal piacere, che ne ho già ritratto, argomento ben quello, che deggio promettermi da una più attenta lettura di questa lodevol produzione de' suoi colti e felici talenti.*

(3) *De' Precetti della pittura libri quattro in versi. Si aggiungono in prosa:* 1.° *Lo studio della poesia e della storia adattato a' pittori, e ridotto all' uso pratico dei medesimi.* 2.° *Varie tavole di simboli pittoreschi.* 3.° *Una di notizie istoriche intorno alle tre belle arti.* 4.° *Una de' più insigni pittori, scultori ed architetti antichi e moderni. Opera composta dal Cav. Adamo Chiusole ec. nella Stamperia Turra. Vicenza,* 1781.

(4) Ea continetur capite XLIX. eorum Actorum, quae anno MDCCLXXXI, prodierunt; tali initio. *Il consacrare le Muse ad utili oggetti, l'istruir con diletto e il fissar con le rime la memoria de' giovani, che istruisce, furono i motivi che indussero il dotto autore a scrivere maravigliosamente dell' arte della pittura, ch' egli si pregia d' esercitare. Niuno può meglio di lui indicare i precetti di una professione, in cui col pennello e con i colori bisogna saper fare quello che i semplici amatori delle belle arti, benchè letterati e poeti, saprebbero dire o immaginare. Utilissima pertanto al progresso delle arti del disegno*

dovrà reputarsi la fatica di uno scrittore, come il nostro letterato e pittore, non essendo utili, che per metà le opere de' semplici pittori non eruditi, o degli eruditi non pittori. Nel primo libro ec. Nihil autem non recte monuisse Clusolus ostenditur, praeter unum, quod Andream Sartum duriorem fuisse dixerit in coloribus; quum ejus severam jucunditatem ipse sit admiratus colorandi magister Titianus.

(5) Particulam subjeci litterarum Antonii Maronij Collegii Lucani ab epistolis: *Sensibilissima la Congregazione in corpo, e ciaschedun individuo in particolare, a questo tratto di distinzione, come altresì sempre attenta a fare la dovuta stima di coloro che vaglion nella coltura delle belle arti, gradirà infinitamente di vedere il ritratto di V. S. situato nella serie degli uomini valorosi, che conserva l'Accademia, e il cui aspetto non può, se non destare una nobile emulazione ec.* Hunc eundem librum quum H. Tirabosehio misisset Clusolus, immortalis ille vir his ad eum verbis dedit: *L' opera che V. S. si è compiaciuta di trasmettermi in dono, fa conoscere quanto bene abbia ella saputa riunire in sè stessa lo studio delle lettere e delle belle arti, e come riguardo a queste ultime ella accoppii felicemente una piena notizia della loro storia con una perfetta cognizione de' lor principj. Mi era già noto per fama il suo nome, e mi compiaccio or di vedere, che la fama le ha renduta giustizia, e che dovuti eran gli onori che dall' Accademia di Roma le sono stati decretati.*

(6) *Itinerario delle pitture, sculture ed architetture più rare di molte città d' Italia del Cav. Adamo Chiusole, fra gli Arcadi Vergisio Sipiliano ec. nella Stamperia Turra, Vicenza,* 1782. Vide Acta, quae Romae prodierunt anno MDCCLXXXIII, capite XII. ubi ita scriptum invenio . . . . *L' ultima opera (del Cav. Chiusole) che annunciammo, fa un poemetto elegante e dotto,* su i precetti della pittura, *ove si espongono le principali leggi dell' arte, unitamente alle descrizioni di alcune opere più insigni, e a molti critici riflessi per ajutare non che gli artefici, ma anche i meno intendenti a rilevare facilmente il vero bello e i difetti de' quadri che si presentano ai loro occhi, e sviluppare così il vero buon gusto, e formare e nudrire la difficile arte di vedere nelle belle arti. Non contento però il sig. Chiusole di aver reso un sì importante servigio a quelle arti, che fanno la principal gloria della nostra Italia, ha ora dato alla luce un' altra opera che non dovrà stimarsi di minore importanza per il medesimo oggetto, cioè un elenco di quei capi d' opera appartenenti alle medesime arti, che si conservano nelle varie città d' Italia.... Ci mancava ancora un piccolo libro tascabile, qual è il presente, in cui le primarie e più rare bellezze pittoriche, statuarie et architettoniche dell' Italia si contenessero descritte con precisione ed esattezza.* Cetera, quorum summa haec est, ut inter scriptores qui apud nos funguntur vice Mystagogorum, primae Clusolo deferantur. Eadem sententia est Actorum quae prodierunt Mediolani eodem anno IX, Cal. Februarias.

(7) Canticorum, Exodiorumque, quae quidem nos vidimus, hi sunt tituli: *Il perfetto modello del valor militare raffigurato nella Maestà di Federico I. re di Prussia ec.* 1769. — *Componimento Drammatico per il felicissimo parto di S. A. R. la Principessa Federica Luisa sposa di S. A. R. Federico Guglielmo principe Ereditario di Prussia ec.* 1771. — *Componimento Drammatico in lode di Caterina II. Imperatrice dispotica di tutte le Russie ec. allusivo alla guerra del* 1769, *in Roveredo*, 1784. Sed liquet, alia id genus eum divulgasse quae praeconium haberent Austriacae Domus.

(8) Ex his quum unam Clementi Baronio, acerrimi judicii viro, percensendam misisset, verissimum hoc ab eo tulit responsum: *La Drammatica secondo me è un'arte di divertire il popolo e di tenerlo attento colla rappresentazione de' fatti umani. Perciò io porto opinione che il fatto, che si sceglie, debba contener qualche cosa di nuovo e di straordinario, senza dare nel chimerico e nel romanzesco. Bisogna poi che nel fatto intervenga qualche personaggio, che s'attiri l'altrui benevolenza, e che si proponga qualche disegno interessante la sua felicità. Nella condotta di tal disegno bisogna che insorgano degli ostacoli, che dien luogo a' fatti, per quanto si può senza inverisimiglianza, insoliti essi pure e maravigliosi, per cui si eccitì a vicenda la speranza e il timore, la gioja e la tristezza con una dolce sospensione sino alla fine. Questi a parer mio sono i principali requisiti, senza de' quali nè il tragico poeta, nè il comico non si potrà giammai prometter applauso. Ora non nego che il fatto da lei scelto per la sua commedia non contenga del ridicolo, e che il ridicolo non sia pur esso un requisito della buona commedia; benchè al giorno d'oggi corra un'opinione contraria; ma nego poi che un fatto paramente ridicolo possa formar la base d'una buona commedia, siccome quello, che contenendo essenzialmente sol frivolezza e deformità, non è atto ad interessar il cuore; senza il qual interesse non può conciliarsi per lungo tempo l'altrui attenzione. Un tal fatto sarebbe al più un buon argomento per poemetto eroico-comico, dove il poeta che narra, dando al frivolo una cert'aria d'importanza, trova il segreto di trattener il lettore. Ma altro è narrare, e altro rappresentare. La sua Commedia per altro si raccomanda per un certo stile, e verseggiare piano e facile qual si conviene alle commedie, e vi sono altresì sparsi qua e là dei sali, e dei tratti satirici assai arguti ec.*

(9) Inter poetica haec sunt: *Componimento per il felice arrivo a' suoi feudi di S. E. il Co. Cesare Ercole di Castelbarco Visconti ec. Roveredo* MDCCLV. *Componimenti poetici per S. E. il sig. Gio. Carlo Barone Partini per la S. C. M. tenente maresciallo e comandante effettivo di Praga ec. Roveredo*, 1764. *Per la partenza da Roveredo sua patria di S. E. il sig. Gio. Carlo Barone Partini ec. ec. Componimento poetico dedicato alla nobil signora Bianca Laura Saibante Vannetti. Roveredo*, MDCCLXIV. *Per la Maestà di Federico Re di Prussia ec. ec. Canzone.*

(10) *Sopra l'Onore, Lettera ad un Amico. Vicenza*, 1782.

(11) *Sopra il Teatro delle piccole città, Lettera. Vicenza.*

(12) *Sopra il Villaggio detto Chiusole, Lettera ad un Amico. Verona*, MDCCLXXXV.

(13) *Della vita nobile e cavalleresca, opera composta dal Cav. Adamo Chiusole ec. Vicenza nella Stamperia Tarra*, 1782.

(14) Romanorum Ephemeridum verba ipsa proferam ex capite XXIII. earum, quae prodierunt anno MDCCLXXXIII . . . . *Scrisse già il Loke due volumi su di questo argomento; ma troppo si diffuse in sottili riflessi, oltre di che egli piantò molti principj sopra certi costumi inglesi, che adattar non si possono a noi Italiani; e pochissimo in fine parlò delle arti cavalleresche. Il Rollin, che scrisse brevemente sull' educazion delle fanciulle, troppo si estese sopra i compendj della sua greca storia, fu troppo scarso nelle altre importanti istruzioni per le medesime. Il nostro Autore si è tenuto lontano da tutti questi difetti, e si è studiato di abbracciare in poche carte tutti gli oggetti risguardanti l'educazione e la vita de' nobili per ogni sesso ed età ec.* Satis honorifice et Mutinenses: *Tanta è l'importanza dell' educazione, e tanto questa influisce nel lieto, o infelice stato di una città a di una provincia, che sempre si debbono accoglier con plauso que' libri che giovar possono a perfezionarla. Tale è quello del sig. Chiusole che qui accenniamo; in cui non si fanno già inutili e speculativi sistemi di educazione, i quali per lo più nella pratica riescono inutili, e talvolta anche dannosi, ma si prende per così dire il fanciullo per mano, e si viene guidando per tutte le vie, ch'ei dee correre: e a' genitori, e agli aji, e maestri si danno utilissimi precetti a tal fine.* Vide Volumen Ephem. Mutin. XXIX. pag. 285, 286, ubi librorum quoque eorum, quos Clusolus de Pictura scripsit, et de iis, quae per Italiam visenda sunt, mentionem invenies. His consentiunt Acta Mediolanensia ea ipsa, quae supra memoravimus.

(15) Opus inscribitur. *Notizie antiche e moderne della Valle Lagarina, e degli uomini illustri della medesima in supplemento alle memorie antiche di Rovereto del Ch. Tartarotti. Verona*, MDCCLXXXVII, *per l'erede Merlo.* In hunc librum etiam ea conclusit, quae prius separatim de Clusolarum pago ediderat.

(16) *Componimento poetico ec. dedicato alla Santità di N. S. Papa Benedetto XIV. Roveredo*, MDCCLVII.

(17) Columnae epistolam legi hoc exemplo. *Non ho mancato presentar subito a Sua Santità il libro, ed è stato dalla medesima accolto con molta gentilezza e gradimento. In prova di che è volentieri passato a dichiararla Conte del Palazzo e Cavalier dello Speron d'oro ec. A me dunque altro non resta che rallegrarmi con lei de' nuovi onori conseguiti per sè e tutti i*

suoi discendenti, ed augurandolene sempre di maggiori dichiararmi con tutta la stima ec. Roma, 9 Dicembre 1757. Codicilli iis verbis sunt, quibus solent.

(18) Gallica ipsa hic apposuimus, quo conferri possint: *J'ai reçu, Monsieur le comte Chiueole, votre lettre obligeante, les douze exemplaires de vos essais sur les regles de la peinture, et l'application que vous en avez faite dans le morceau que vous m'avez envoyé. Je vous remercie, Monsieur le comte, de votre attention et sur ce je prie Dieu qu'il vous ait en sa sainte et digne garde. Federic. Potzdam ce 15 Octobre 1769. Monsieur le comte Chiusole. Je vous remercie de votre attcation, d'avoir composé un poëme sur l'heureux accouchement de ma très-chere Niece la Princesse de Prusse. Je ne doute point, qu'il ne soit très-bien tourné; et Je prie au reste Dieu, qu'il vous ait, monsieur le comte Chiusole, en sa sainte et digne garde. Federic. Potzdam ce 26 de Janvier 1771. Monsieur le comte de Chiusole. Votre poeme sur la naissance de mon petit neveu m'a été fidelement rendu, et votre songe du 20 d'avril m'a amusé. Il ne me reste donc, qu'à vous remercier de votre attention; et sur ce je prie Dieu, qu'il vous ait, Monsieur le comte de Chiusole, en sa sainte et digne garde. Federic. Potzdam ce 7 de Mai 1771.* Clusoli autem Somnium quod Rex dicat, nescio; nisi auspicor, poeticum aliquem ejus lusum fuisse hoc titulo.

(19) *Monsieur. Vos lettres et les Cantates sont parvenues. S. M. le Roi m'a ordonné, Monsieur, de vous en faire ses remercimens et de vous temoigner combien Elle est sensible à votre attention obligeante. S. A. R. Madame la Princesse de Prusse est egalement penetrée des voeux que vous faites pour Elle et pour son Illustre Prince; Elle m'a ordonné aussi de vous dire qu'Elle est très-satisfaite de l'envoy que vous lui avez fait tenir. Je suis charmé d'avoir cette occasion de vous assurer de l'estime distinguée, avec la quelle j'ai l'honneur d'être. Potsdam ce 11 May 1771.*

(20) Habes Epistolam. *Mi scrive il Re mio padrone, che indaghi da V. S. I. se avrebbe contrarietà di andare alla sua corte, ove sarebbe nobilmente trattato col viaggio pagato, colla carrozza e con un congruo assegnamento. Da quel che ricavo, pare che avrebbe idea di darle una nobile ispezione della Galleria e del buon gusto de' reali addobbi, con una generale soprantendenza delle arti liberali del regno. Tocca a V. S. il risolvere secondo le circostanze della sua famiglia a me ignote, e l'avanzarmi il suo sentimento. Mi compiaccio io stesso di sì gloriosa insinuazione adattata al suo bel talento e merito; e da questo lampo precursore potrà ricavare il gradimento delle sue degne poesie e pitture. E con perfetta stima mi dico ec. Venezia 8 Ottobre 1769.*

DE

IOANNE MARIA DEBLASIO

COMMENTARIOLUM

QUOD IN CONVENTU SODALIUM LITTERATORUM ROBORETANORUM RECITATUM EST.

I. Postulat a me consilii mei ratio, quod nuper suscepi, clarorum sodalium, qui diem obierint, vitas summatim persequendi, ut quando Joannes Maria Deblasius civis et sodalis noster magno omnium dolore proxime nobis est ereptus, ejus quoque res quam brevissime potero memoriae prodam. Quod quidem eo libentius faciam, quia in hoc homine exemplum singulare studiosis proponi potest. Quum enim nec idoneos habuerit magistros, et ingenio ipse fuerit haud ita magno, diligentia et labore tantum effecit, ut civium omnium existimationem sit consequutus. Quod contra fit a plerisque, quibus quum opportunitas nulla desit, nullumque discendi instrumentum, sibi ipsi propter ignaviam turpissime desunt. Nec vero dubium est, quin major Deblasio gloria debeatur, qui mediocris vir fuerit, quam illis, qui, quum scientiae subsidiis abundent, magni viri existunt. Itaque ut vitiis, quae in hujus scriptis deprehenduntur, danda est venia, quia non habuit, qui monstraret admoneretque; sic virtutibus praecipua

est quaedam tribuenda laus, quippe quas nemini debuerit, nisi sibi.

II. Deblasius igitur obscuro genere natus, virtute illustratus est, qua una vera nobilitas continetur. Grammatica litterisque humanioribus in patrio Gymnasio est eruditus, in quo quum tres praeter caeteros magni pretii professores adhuc fuisse constet, Joannem Baptistam Graserium, qui rhetoricem, Thomam Mazucchium, et Gothardum Festum, qni humaniores litteras docuerunt; ipsius adolescentia incidit in ea tempora, quibus bonorum magistrorum erat inopia. Sed id parum est. Namque ei sors, tamquam omnes ad proficiendum vias de industria praecideret, rhetorices magistrum obtulit, hominem doctum illum quidem et consilii plenum, sed corruptiori eloquentiae genere imbutum, utpote qui illas et ea tempestate didicisset, quum proximi saeculi insolentia nondum esset exstincta, et quod plus est in regionibus sub arcto positis, ubi talium rerum nulla unquam recta voluntas esse potest. Itaque multa haurire Deblasium perversa oportuit, quae aliqua ex parte etiam adulto inhaeserunt. Adeo verum est, permagni interesse, quali quisqne utatur praeceptore; exempla enim plurimum valent apud pueros, qui qnae majoribus natu probari vident, et ipsi recta putant; ex quo fit, ut fallaci doctrina ingenia mediocria persaepe opprimantur, acria nunquam non retardentur.

III. Ab eodem magistro et philosophiam didicit et theologiam, cujus quidem ille erat peritissimus. Dein sacerdotium iniit, brevique et in nostram sodalitatem, quae tunc primum florescebat, adscitus est, et grammaticae in eodem illo, ubi didicerat, Gymnasio docendae munere

honestatus. Quumque saepius sollicitaretur, ut, relictis omnibus, ad animarum se regimen conferret, invitaretur etiam alio amplioribus praemiis ad docendum; tamen et puerorum institutioni dare operam maluit, quod intelligebat, ex hao una pendere, qualis quisque tota vita futurus sit, et idipsum patriae praestare, quam alii cuiquam civitati. Itaque nunquam abfuit.

IV. Quum autem permulti sint, qui ubi munus aliquod quamvis tenue sortiti fuerint, quo vitam colant, pigritia, non animi aequitate ducti, ita in eo acquiescant, ut majus nihil spectent, Deblasius contra tum in sacrarum litterarum, tum in humanitatis studiis assidue versabatur, sperans, se utiliorem in dies fore suis civibus. Jamque id erat industria consequutus, ut doctior haberetur, quam ut eum deceret grammaticam diutius profiteri. Instituerant tum forte sacerdotes quidam rectae disciplinae studiosi, ut certis diebus conventum haberent, in quo de caeremoniis ac ritibus ageretur. Statim Deblasius in id collegium cooptatus est, atque adeo a secretis factus. Idem saepissime ab eo caetu discedens ad nostrum se conferebat, nec audiendi modo gratia, sed etiam recitandi.

V. Itaque in sodalium tabulario multae ejus exstant tum latinae tum italicae commentationes. Scripsit patrio sermone inter caetera de caussis, cur Romani mense majo a nuptiis abstinuerint. Quod quidem argumentum et ab aliis pluribus, et in primis a Tassonio (*Cogitationum variarum lib. VIII. cap. II.*) diserte, ac festive pro sua consuetudine tractatum est. Praeterea exposuit longiori oratione dictum illud: *Poetae nascuntur*, contra imperitos quosdam, qui hoc totum naturae tribuunt, nihil

loci studio esse volunt. Qua in materia satis, ut apparet, expedita, belle atque erudite exspatiatus est. Latine scripsit de propinationibus, quas Romani in convivio adhibebant honoris caussa, et ut honestam initio consuetudinem luxuria fecerit deteriorem. Eadem lingua exaravit commentariolum de mensa veterum Christianorum, ubi omnes ritus ad eam pertinentes diligentissime retulit, quod scriptum quum bacchanalium diebus recitaturus esset, tempore ipso est admonitus, ut proemium attexeret de nostrorum conviviorum lautitia, unde ad veterem frugalitatem sensim delaberetur, quod fecit ita apte ac facete, ut nihil supra.

VI. His rebus quum quotidie magis commendaretur, summo omnium ordinum studio ac favore anno millesimo septingentesimo sexagesimo sexto, quum ipse annum ageret secundum et quadragesimum e grammatici officio ad rhetoris dignitatem traductus est. Quae res facultatem dedit videndi, quantum in latinis litteris valeret. Nam quum quotannis, quo die praemia discipulis tribuuntur, latina oratio vel de litteris vel de simili quapiam re haberi soleat, quae a rhetorices magistro conscribitur; ex iis ipsis orationibus licet de ejus stilo existimare. Latine igitur scribebat sic, ut laborem agnosceres, naturam desiderares. Aberat comprehensio verborum mollis ac numerosa, et illud nescio quid romani ingenii et coloris. Verba aderant fere optima, nec tamen non barbara quaedam incidebant, vel etiam non satis concinne translata. Inculcabat autem nimio opere sermonis veneres ac flosculos, qui cum fluerent dissoluti, atque adeo saepe alieno loco positi, et nervos tollebant, et significabant, eum parvis rebus plus aequo delectari. Quum tamen

neque idoneis, ut offendimus, magistris usus esset, neque id unum per occupationes agere potuisset, neque esset in civitate, qui ipsi opponeretur, multum effecisse merito putabatur. Sed alterum hisce oratiunculis inerat vitium, quod ita vacuae rebus erant, ita macrae, ut ossa omnia, omnes venae apparerent, vix ullus esset succus aut sanguis. Id eo, ut arbitror, fiebat, quia e latinis scriptoribus recentiores ille saepius legebat, quam antiquos.

VII. Itaque etiam discipulis M. Tullium rarissimo explicabat, Muretum quotidie, qui ut optime latine scribat, orationis certe ubertate ac magnificentia non est cum Tullio conferendus. Cum autem haec imitatores servare debeant primum, ut absolutissimum sibi exemplar proponant, deinde ut illud vincere conentur, quo enim altiora appetent, eo facilius vel aequabunt, vel certe proxime accedent; Deblasius ab hac disciplina usque adeo aberravit, ut non modo cum summis auctoribus non decertarit, sed ne perfectum quidem oratorem sit sequutus. Quo facto mediocribus posterior evasit. Nam quod dicere erat solitus, se ob eam caussam Muretum discipulis exponere, quia facilius ab iis intelligeretur, quum ea dicat, quae a nostris moribus non abhorreant, neque in caussarum subtilitate versetur; ego vero ob id ipsum talem auctorem omittendum arbitror, legendumque Ciceronem, ut adolescentes et antiquitatis cognitione imbuantur, et mentis acumen ad graviora implicatioraque intendere assuescant. Neque enim repetenda sunt illis nota, sed nova inserenda. Quare nolim, in hoc quisquam Deblasium imitetur. Caeterum magister fuit peritus, diligens, et qui discipulos in officio sine asperitate

contineret. Hujus latinae quae exstant epistolae, carent naturali lepore illo, qui inter praecipuas ejusmodi scriptionis laudes numeratur. Omnino earum lectione sentias tibi ingenium exarescere, ac mente discedas quasi vincta et ad cogitandum impedita; ut accidit iis, quibus acerba poma dentes adstrinxerunt, qui nihil jam sibi videntur posse mandere.

VIII. Patrio sermone elegantius disertiusque scriptitavit, ut ostendunt complures ejus panegyrici, quibus nonnullos e christianis heroibus celebravit. In his quidam excellunt tum inventione ac dispositione, tum etiam coloribus imaginibusque non invenustis. Sunt autem referti quibusdam loquendi modis e sacrorum librorum quasi promptuario petitis, qui multum ornamenti ac splendoris afferunt, cum praesertim italice perbelle reddantur. Ac fuit ille sane patriae linguae diligentissimus, nullum ut verbum poneret, quod non esset a probatis auctoribus adhibitum, ac structuram aequeretur eam, quam in superioris aetatis scriptoribus videmus, non quae hodie plerisque est in deliciis, praecisa, insolens, gallica magis quam nostra. Sed heic quoque in eo saepe offendebat, quod nimio studio reconditas dictiones captabat, quodque apposita congerebat partim otiosa, partim etiam poetica, ut interdum oratio lasciviret. Quod attinet ad sententias, hae plerumque vulgares et exiles erant; et si quae acumen atque impetum habere potuissent, hac ipsa affectatione hebescebant. Nullibi quidem certe ea rerum copia reperitur, eaque facundiae vis, quae in hominum animis dominatur, ut vere affirmare posse videar, Deblasium in temperato ac florido dicendi genere dumtaxat esse versatum.

IX. Venio nunc ad poeticam ejus facultatem, quae quidem neutra in lingua excellens fuit, major tamen in latina. Italica enim quae reliquit carmina, reliquit autem admodum multa, si unam elegantiam excipias, digna vix sunt, quae legantur. Serpunt enim et jacent. Latina vero non item. Nam et epigrammata exstant partim jocosa, et extra vitium arguta, partim venusta ac suavia, et hendecassyllabi non dissimiles Catullianis, et heroi splendidi sonantesque. In his pulcherrimum est carmen, quo Augustae gratias egit, quum ea perhonorifico diplomate sodalitatis nostrae leges atque instituta comprobasset, nosque in suam clientelam recepisset. Est etiam ecloga inscripta Alexia, qua Jacobi Saibantii avunculi mei, qui adolescentulus decesserat, immaturam mortem deflevit. Quae quidem ecloga ita miserabilis est, ut propemodum lacrimas eliciat, rursus ita elegans, ita concinna, ita dulcis, ut Virgilianae illi, in qua Menalcas et Mopsus amisso Daphnidi parentant, proxima esse videatur. Ex iis autem, quae latinis versibus jocose scripsit, nihil amoenius fingi potest carmine eo, quod Augusti Calendas vocavit. Descripsit quippe turbam cujusque generis opificum multo cum risu ac clamore in luco saltantem, commissantemque; quod quo magis exornaret, Bacchum induxit cum corolla hederacea, poculum tenentem, et praeeuntem in asello. Retulit autem fabellam ad veritatem, quum eum diem populus vino celebrare quotannis soleat. Hoc carmen, inquam, omni festivitate, omnique lepore conditum est, atque in suo genere absolutum. Deblasius igitur ut italice melius scripsit soluta, quam vincta numeris oratione, sic melius latine vincta, quam soluta. Ita et in Italicis orator mediocris fuit,

et in latinis sat bonus poeta, ut quod ei in altera lingua deesset, altera sarciretur.

X. Nec vero ex illorum numero fuit, qui nimio an pudore, an amore sui, nihil eorum quae scribunt in existimantium arbitrium, inque aspectum ac lucem pervenire volunt. Verum si quid edebat, nomen suum apponi non patiebatur, quod est signum singularis cujusdam modestiae: quum alioqui ne philosophi quidem praedicationis nobilitatisque irrisores hac se gloriola fraudare consueverint, quin illis ipsis libellis, quos contra gloriam scribunt, nomen suum inscribant (*Cic. pro Archia. C. XI*). Anno igitur millesimo septingentesimo quinquagesimo tertio quum Antonius Marchesanius Chrysostomi Sancti libros in latinum conversos in hac urbe imprimeret, Deblasius non modo diligentem ipsi operam dedit, quo exirent emendatiores, verum etiam praefationem latine texuit, haud ita brevem, quae illi editioni est praeposita. Scripsit eadem lingua commentariolum de situ Austriae, subjectarumque regionum, quo rhetoricae auditores uterentur, quod ab eodem Marchesanio editum est anno millesimo septingentesimo septuagesimo secundo. Atque utinam ea, quae ad Italiae fines, hoc est ad nos pertinebant, paullo fusius exposuisset: quum enim aliena persequatur, domestica vix attingit. Quod contra oportebat illa breviter, haec accurate tradere. Sunt etiam in manibus pii quidam ejus libelli, et carmina nonnulla separatim per occasiones evulgata. Orationem emisit nullam, credo quod et ipse intelligeret, aut nihil in eo genere, aut perfectiora proferenda, non enim quae venia recitanti dari soleat, eamdem edenti paratam esse.

XI. Hic quanti a civibus fieret, ex eo intelligi potest, quod si qua erant aut prosa oratione, aut versibus publice scribenda, ejus opera potissimum utebantur; ac nemo fere e studiosis juvenibus quidquam edebat, quod non prius in ejus aures descendisset, atque adeo ejus lima fuisset expolitum. Neque solum ad has res, verum etiam ad majores plurimum adhibebatur, ut non sua tantum, sed et aliena negotia videretur sustinere; ob eamque caussam et consilii, et prolixae beneficaeque naturae laude in dies cresceret. Valetudine semper usus est infirma atque aegra, ut vertigine etiam saepius tentaretur. Neque eo secius quidquam de studio, deque occupationibus remittebat, quibus undique distinebatur, quum ita rhetorem ageret, ut se sacerdotem esse meminisset. Quam personam nunquam non ceteris antetulit. Itaque ne quum secesserat quidem, parcere sibi ulla in re, aut cessare consueverat; quin imo Publium Scipionem imitabatur illum, de quo accepimus (*Cic. de Off. l.* III), nunquam minus otiosum fuisse quam cum otiosus, nec minus solum, quam quum solus esset.

XII. Omnino nihil eum avocabat, nullis delectabatur rebus, praeterquam quae meliorem facere possent, et praesertim litteris, quarum quum duo coleret genera, alterum amoenum, alterum grave, et ei vitae instituto, quod sequutus erat, accommodatum, collegerat sibi in utroque non contemnendam copiam librorum. Qua in re quum alii pulcrarum editionum amore insaniant, easque vel ipsi utilitati anteponant, alii nullam earum rationem habeant, et ipsa vitii fuga in vitium incurrant; Deblasius ita se gessit, ut neutram in partem conspici potuerit. Nam et typorum elegantiam nitoremque amabat, nec

tamen Libros in spectaculum, sed utique in profectum comparabat. Christianae religionis Patres in primis studiose evolvebat, nec tam eruditionis caussa, ut fieri solet, quam ut verae solidaeque pietatis praecepta hauriret, quae et aliis mox traderet, et ipse diligenter observaret.

XIII. Quam ob caussam mirum videri non debet, si tanta fuit ejus in omni vita probitas integritasque, ut eum boni semper dilexerint, mali nunquam obtrectarint. Aberat enim ab eo non modo culpa, sed etiam omnis culpae vel levissima suspicio, plane ut argumentum deesset maledicendi. Aderat autem prudentia, gravitas, frequentiae fuga, non quae rusticitatem ullam ostenderet, sed quae inde originem duceret, quod putabat, turbam vitiorum omnium esse matrem. Modestia in eo erat summa, et par usquequaque temperantia.

XIV. Nihil unquam festinanter faciebat: quin potius cum in cogitando, tum in agendo erat tardior; ac neque laetitia gestiebat, neque dolore efferebatur, sed aequus animus in eodem perpetuo manebat statu. Hoc autem ingenium ut virtuti est propius, sic minus aptum eloquentiae existimatur, cujus officium est movere, atque afficere alios; quod profecto consequi non possumus, nisi prius ipsi afficiamur, idque naturam requirit impetu quodam, atque ardore praeditam. Alienos jocos, qui liberales essent, libenter audiebat: interdum et ipse jocabatur, parce tamen, et ne quemquam offenderet; nihil enim habebat caritate antiquius. Itaque, ut omnia paucis complectar, molestiam nemini exhibuit, multis usui fuit, omnibus exemplo.

XV. Statura haud magna fuit, nigro et crispo capillo,

colore aquilo, densa barba, corpore neque pingui, neque exili, voce fusca et obtusa. Memoria minus bona usus est, ut etiam si quando ad populum dixit, semper de scripto dixerit. Obiit annos natus tres et quinquaginta, anno millesimo septingentesimo septuagesimo septimo. Elatus est XII. calendas Februarias, universo Gymnasio comitante, quum civitatis in eum studium ipse maeror funeris indicaret. In hoc homine vere dici potest, ingenium mediocre fuisse, mores sanctissimos, doctrinam multiplicem, satis facundiae, diligentiae, industriaeque quantum maximum in quoquam esse potest. Hujus virtutem verumque laborem studiosi imitentur, fortunam optent aliorum.

COMMENTARIUS

DE VITA

ALEXANDRI GEORGII

CHRISTINO FRANCISCO BEVILAQUAE

MARCHIONI

PATRICIO FERRARIENSI

CLEMENTINUS VANNETTIUS S. D.

In summo animi dolore, CHRISTINE BEVILAQUA vir praestantissime, quem ex Alexandri Georgii, tui fratris filiorum praeceptoris, obitu accepi, me ipse, quoad potui, confirmavi, ut aliquid de eo litterarum monumentis mandarem potius, quam inutilibus lacrymis tempus omne consumerem. Quod quum facere instituissem, non habui necesse deliberare, cujus potissimum nomine meum opusculum illustrarem. Quum enim tot, tantaque tua in Georgium extiterint beneficia, ut ne ab optimo quidem parente majora expectare potuerit; quumque tu illi suo tempore pernecessario aedes istas, Musarum perfugium ac sedem, patefeceris, atque omnium rerum, quae ad corporis animique cultum pertinerent, copiam suppeditaris, cumque et vivum semper dilexeris, et nuper etiam domi tuae mortuum familiariter luxeris; jam non ullum officium, nec mea summa in te observantia, sed res ipsa a me postulare visa est, ut quae de hoc homine scripsissem, qualiacumque tandem essent, nemini alii, nisi tibi dicarem.

Atque hic esset locus de tuis singularibus in omni genere virtutibus praedicandi: stirpis enim antiquitatem, splendoremque Majorum mirari non soleo. Sed quoniam assentatorum levitas omnem hujusmodi epistolarum fidem jam diu elevavit; non faciam profecto, ut quum materiem laudum tuarum non vulgarem, sed praecipuam, non fictam, sed verissimam habeam, hanc ei Scripturae committam, quae minimum ponderis habitura esse videatur.

Itaque caetera in praesens relinquam: hoc unum modo affirmabo, Georgii gloriam ita esse cum tua conjunctam, ut nihil ab eo vel sapienter factum, vel praeclare excogitatum lecturi sint posteri, quin ejus rei magna pars laudis in te redundet. Etenim sic propemodum statuo, ipsum Georgium nisi in tuam amicitiam tuumque convictum pervenisset, ad id doctrinae claritatisque fastigium non fuisse emersurum.

Accipies igitur pro tua perpetua in me humanitate hoc parvum Commentariolum libenti animo (neque enim quod tibi debeatur, munus audeo dicere) meque, si ita meritum arbitrare, in tuorum numero habere perges. Vale.

De Iseriano IV. Idus Septembris CIↃ.IↃ.CC.LXXIX.

DE VITA

ALEXANDRI GEORGII

Duri solatia casus.
VIRGIL. Aen. Lib. VI.

Non ignoro equidem, illam verissimam propositam esse Historicis legem, ut non solum odio, verum etiam amore omni sic vacent, ut nec falsi quidquam dicere audeant, nec veri non audeant. Mihi autem de Alexandri Georgii vita aliquid scribere conanti verendum non est profecto, ne amicitia, quae mihi cum ipso fuit maxima, me aut a vero re ipsa abducat, aut in vanitatis suspicionem apud alios, qui pridem ipsum noverint, vocet. Etenim quum ego illum non ex amore admirari, ut plerumque fit, sed ex admiratione amare coeperim, eum amorem sequor, qui cum sincero incorruptoque judicio sit conjunctus. Quum autem ita jam pridem judicare potuerim, Georgium non unum esse e multis, qui doctrinae ac probitatis laude florerent, sed inter multos propemodum singularem; video ad eum laudandum nec mendacio usquam esse opus, neque silentio. Nam cum omni virtutum genere abundavit, tum, quoad homini fas fuit, vitiis omnibus caruit.

II. Quod utinam ipsum coram aliquando videre atque alloqui licuisset: nunc enim quum ejus res atque mores ex ipsius tantum ad me Epistolis, atque a Francisci Malfatti sobrini mei, quotidiani ejus studiorum testis, praedicatione cognitos habeam; intelligo, multa in

hoc scripto multos esse desideraturos, quae, nisi praesenti et diuturna consuetudine, adverti notarique non possunt. In quo tamen non metuo ne reprehendar, si majorem pietatis rationem habui, quam facultatis, et si amici in ipso paene aetatis flore sublati memoriam aliquo potius officio prosequi malui, quam nullo. Quod quidem et ipsi, qui mihi nunc ex illo divino animorum concilio meum luctum measque lacrimas intueri, ac meis cogitationibus quodammodo interesse videtur, spero fore gratissimum. Itaque jam exordiar.

III. Alexander Georgius Venetiis natus est anno millesimo septingentesimo quadragesimo septimo III. Idus Septembres. Quod nos quidem magnum fortunae munus putamus, urbe in ea lucem aspexisse, in qua una veteris Romanorum et sapientiae et dignitatis quasi simulacrum resideat. Patrem habuit Leonardum Georgium Venetum, matrem Carolinam Trechmayriam Caroli filiam, nobilis apud Germanos viri, qui in Sarmatarum Regis exercitu meruit, legionemque duxit tribunus militum. Sed et Georgiorum familia ante aliquot aetates in patriciis fuit, quae postea quum humiliori connubio ad Scribas transisset (qui ordo patricio proximus habetur), in Patavinam nobilitatem est adscita. Alexander mature admodum in Jesuitarum disciplinam traditus est, quo ad humanitatem ac philosophiam institueretur. Qui quum et ingenio esset summo et praeclara indole, ut secundum religionem nihil haberet litteris carius, fluxis mortalium rebus nuntium remittendum, atque illud ipsum D. Ignatii institutum sequendum sibi esse statuit. Itaque decimo septimo anno in Societatem jam jamque perituram Bononiae nomen dedit.

IV. Tirocinio posito, Placentiam biennio post se contulit rhetoricae addiscendae caussa, mox Parmam docendae grammaticae. Sed brevi cum ceteris sociis Bononiam rediit. Ubi quum pari modo scholam aliquandiu habuisset, frequentissima sanguinis exscreatione id muneris omittere coactus est. Qua re jam tum ostendit, ei morbo se obnoxium fore, qui ipsi postea fuit fatalis. Neque eo secius ad theologiam penitus cognoscendam accessit, iniitque sacerdotium annorum trium et viginti. Atque in hac Bononiensi commoratione facile sibi aditus patuit cum ad alios doctissimos viros, quorum in ea urbe singularis semper exstitit copia, tum ad maximum illud post Leonis Decimi tempora Latinarum nostrarumque litterarum lumen Franciscum Zanottum. Itaque adolescens sapientissimo seni, cui usque ad extremum diem mira constitisse festivitas dicitur, fuit jucundissimus. Etenim ille, qua erat sagacitate, intelligebat profecto, inesse in Georgii mente eximiam vim quandam, deque eo, ut Socrates olim de Isocrate, rectissime augurabatur.

V. Sequutum est illud, quum Jesuitarum Societas, quae tantas habere radices, quantus est orbis terrarum, putabatur, Clementis XIV. Pontificis Maximi nutu, tamquam fulmine, excisa ac deleta est. Qua ille communium temporum calamitate perculsus, in patriae portum confugit. Quo quum venisset, quoniam nimia majorum comitate rei familiaris angustiis premebatur, in ipsa doctrina fortunarum praesidium invenit suarum. Etenim intra parietes ludum aperuit, in quo adolescentes, qui aut sacris initiati essent aut jam sacerdotio fungerentur, theologicis disciplinis erudiret. Cujus plena sapientiae

vox ut primum est audita, major in dies concursus ad eum fieri coeptus est sub tali doctore proficere cupientium. Ac diutius fortasse in eo munere permansisset, nisi Christini Bevilaquae Patricii Ferrariensis amplissimi viri liberalitas multo lautiorem ei conditionem obtulisset. Namque ipsum ultro magnis praemiis domum suam invitavit, ut duos illos, quos frater sibi moriens commendasset, filios quam diligentissime informandos regendosque susciperet. In quo difficile intellectu est, uter meliori fortuna sit usus: certe nec Bevilaqua aptiorem magistrum atque illis Graecis similiorem, quos antiquitas celebrat; nec amantiorem patronum invenire Georgius potuisset. Est enim Christinus ex eorum numero, qui nec generis nobilitati, quae a virtute sejuncta sit, quidquam tribuunt, et divitias, quas plerique aut misere obruunt aut stulte projiciunt, ad alenda potissimum doctorum virorum studia sibi datas esse arbitrantur. Itaque ejus domum quamdam bonarum artium quasi officinam esse dixeris: ita praeclaris rebus omnibus ornata atque instructa est. Neque enim solum litteratorum hominum amicitiis et contubernio maxime delectatur, sed cum ipse in primis est cultus atque eruditus, tum illud praecipue studet, ut ejus fratris filiis (quibus non tam patruus natura est, quam animo pater, et in quorum adolescentia suavissime acquiescit) nihil admodum ullo in genere desit, quo minus quam exspectationem sui apud omnes concitarunt, ei cumulate satis faciant.

VI. Hic igitur quum miram Alexandri sollertiam fidemque et probitatem perspexisset, tanta hominem benevolentia complexus est, ut dignum postea semper habuerit, cui maxima minimaque omnia concrederet. At

ille vicissim ei gratiam referebat, neque se, quoad poterat, officiis vinci patiebatur. Ita autem usquequaque se gessit, ut nec superbius quidquam fecerit aut liberius, et semper dignitatem retinuerit suam. Neque enim paedagogi alicujus loco se existimabat esse, sed utique hospitis atque amici, qui pueros illos in spem patriae adolescentes non quasi in ludo, sed et docendo aliquid, et vero saepius monendo, percunctando, una legendo, denique assiduo convictu sermonibusque familiaribus ad scientiam atque ad virtutem instrueret. Quod quidem disciplinae genus merito utilissimum existimatur. Nihil enim pueris molestius, nihil odiosius, quam scholae nomen; at iidem quum magistrum se docere professum aversentur, dissimulanter docentem libentissime audiunt. Hoc igitur Georgio tum aestate tum hieme quotidianum erat, ut quum vesperi amplius tres horas variis exercitationibus pueros non tam continuisset, quam oblectasset, quorum acumen, docilitatem, festivitatemque et diligebat et praedicabat, ut etiam amicos auditum tentatumque admitteret; parcissime coenatus, abderet se in cubiculum, atque intentissimo animo in lucem lucubraret, albenteque demum coelo quieti se traderet. Quem quum familiares monerent, videret quid ageret, hoc responsum ferebant, dum necessitati aliquando satis faceret, parum referre, utrum noctu id faceret, an die.

VII. Pomeridiana tempora amicis facile tribuebat. Nam quum veteri philosophorum more turbam odisset, ac domo non saepe exiret, complures autem fama impulsi notitiam ejus et colloquium expeterent, ea re fiebat, ut numquam interdiu ab interpellatoribus tutus esset. Ac constat fuisse, qui de industria se in Bevilaquae

domum insinuarent, quo sibi humanissima Georgii consuetudine frui quotidie liceret. Ad quem quidem nemo unquam accessit, quin et doctior et cum magna redeundi cupiditate discesserit. Forte in eamdem domum aliquanto ante se contulerat Franciscus Malfattus sobrinus meus, Christini munificentia et ipse invitatus. Cui etsi scio, me non gratissimum facturum, si de eo quae sentiam aperte dixero, dicam tamen, nec veritati vel ejus gratiam vel pudorem meum anteponam.

VIII. Est igitur Malfattus miris quibusdam virtutibus praeditus: mitto mathematicarum rerum scientiam, quam ita in Ferrariensi Lycaeo profitetur, ut magni Riccatii discipulum facile agnoscant omnes; mitto etiam studia doctrinae, in quibus sic interdum versatur, ut appareat, eum omnia posse quae velit; de his loquor, quae animi, non ingenii sunt, integritate, modestia, simplicitate, beneficentia, suavitate, quae in illo prorsus maxima ac summa sunt. Itaque nemini mirum videri debet, si Georgius hunc simul cognovit et amare coepit. Qui quidem amor e virtutis amore, atque ex animorum similitudine ortus et quotidiano usu confirmatus, brevi incredibiliter adolevit. Igitur magna erat inter eos voluntatum consensio, studiorum etiam consiliorumque sine ulla exceptione communitas; ut jure Bevilaqua gloriari posset, sua opera amicorum par nobilissimum exstitisse. Quae res cum ipsos illustrabat, tum hujus judicium, qui tales viros delegisset, commendabat plurimum; eoque magis, quod peculiaris litteratorum morbus semper fuisse videtur invidia. Quum enim pluris vulgo ingenia aestimarentur, quam mores, inde factum arbitror, ut plerique doctiores, quam probiores videri mallent. Quae contentio

et amicitiam et veritatem tollat, necesse est. Quod quidem tantam habet apud optimos quosdam viros offensionem, ut litteras ipsas, inscite quidem, sed tamen refugiant, quum videant, litteratissimum quemque fere esse fallaciae invidiaeque plenissimum. Georgius autem, quum obtrectaret nemini, a bonis omnibus amabatur. Itaque etiam Ferrariensium doctissimos familiaritate implicatos habuit, ex quibus duo tantum honoris caussa nominabo, quos mihi quoque ipsi conciliavit, Laurentium Barottum, et Vincentium Montium poetam.

IX. Hoc ille tam opportunum otium quum esset nactus, planeque in musarum quasi complexu versaretur, ea intendit animo, quae si perficere licuisset, magnam profecto gratiam ei tota Italia debuisset. Sed haec demonstrabimus postea. Namque initio librum edidit de ratione utriusque linguae Italicae Latinaeque pueris tradendae, eumque patrono suo dedicavit (1). Qua in epistola verissimis laudibus referta illud posuit, se, quamvis ea omnia ante annos ferme decem, quum scilicet in Jesuitarum scholis pueros vel ad septem et nonaginta simul doceret, animo informata ac descripta habuerit, non fuisse tamen litteris mandaturum, nisi id ipsum ab sese novorum discipulorum amor expressisset. Procemium porro attexuit, in quo consilium atque universam rationem suam ita complexus est, ut cum ea, quae rem proprie continebant distincte atque illuminate exposuerit, tum

(1) Hic liber Ferrariae ab Josepho Rinaldo impressus est anno MDCCLXXV, hoc titulo: *Del modo d' insegnare a' fanciulli le due lingue Italiana e Latina, trattato di Alessandro Zorzi Veneziano.* Facta est de eo mentio in Ephemeridibus Romanis eodem anno ad pag. 245. Num. XXXI.

vero multa de puerorum intelligentia, deque erroribus institutorum non pingui minerva, ut ajunt, sed accuratius exquisitiusque disseruerit. Opus ipsum persequi non est instituti nostri; tantum dicemus, Georgium quaedam a Clenardo et Clarchio sumpsisse, cetera fere nova attulisse (quam tamen novitatem ipse non magnopere prae se fert), eaque praeclaris exemplis illustrasse. Qui quidem omne grammaticae munus ad tria revocans, syntaxim, verborum usum, eorumdemque declinationem; ac duo priora ex una interpretandorum auctorum consuetudine, hoc vero tertium e certis tabulis, quas ipse excogitarit, percipi posse demonstrans, illud unum habet propositum, ut simplices quasdam atque expeditas et docendi et discendi vias cum sincera elegantia conjunctas in scholas inducat, grammaticorum salebras barbariemque removeat. Itaque qui haec legat, statim intelligat, non a grammatico aliquo paullo doctiore, sed ab acutissimo experientissimoque philosopho profecta esse, neque tamen ab eo, qui suo potius ingenio serviat, quam communi utilitati. Quod contra fit a non paucis, qui idcirco pervulgata rejiciunt, non quo aut illa re vera improbent aut ipsi habeant meliora, sed ut se tamen excerpant. Quorum libri, ut nocturni per aestatem ignes, primo fulgore evanescunt. Quapropter magistris vehementer auctores sumus, ut hanc docendi rationem, quae ad profectus tum celeritatem tum magnitudinem mirum in modum sit apposita, et cognoscant et amplectantur. Nam de stilo quidem, quo totum opus scriptum est, lectores malumus existimare.

X. Habebat omnino Georgius et peracre judicium, et aures maxime teretes ac religiosas: nihil autem aeque

oderat, atque obscuritatem, nihil sic amabat, quomodo planum atque apertum scribendi genus; tantumque perspicuitati tribuebat, ut etiam si ceteris laudibus careret, hac una contentum se esse diceret. Verum in eligendis quoque collocandisque verbis magna erat cura. Nam nec asperis aut insolentibus utebatur, et quaerebat verissima. Ea porro sic devinciebat, ut aequabile quiddam exsisteret et jucundum. In quo usque eo difficilis ac morosus erat, ut etiam in summis auctoribus numerum saepe requireret. Nec vero longiores comprehensiones consectabatur; quin potius minutis, sed aptissimis membris orationem carpebat. Aberat enim ab illa rhetorum copia atque ubertate; in eoque prorsus animi sui imaginem exprimebat, quod concitata et vibrantia repudiaret, modica assumeret et temperata, ut quamquam jejunus non esset, tamen aliquid ejus orationi fortasse addi posset, detrahi quidem certe nihil. Sed idem afferebat miram quandam urbanitatem venustatemque non tam verborum, quam sententiarum, quae quum ita in animos influat, nihil ut suavius fieri possit, quorundam scriptorum non ampullis, sed prope jam fulminibus longe videtur anteponenda. Sic autem praedicare solebat, se a nemine tantum praesidii ad bene scribendum habere, quantum ab uno Alambertio, quem ut praeclarum et disserendi et eloquendi magistrum colebat. Neque vero Gallorum tantum disertissimos legerat, qua lingua ipse etiam haud imperite utebatur, sed et Anglorum, quorum scripta ex tempore convertebat. Ac scio, inustam esse ab adversariis ejus stilo hanc notam, quasi gallicum quiddam redoleret. A quibus tantum dissentio, ut quum illud facile concedam, in philosophandi scientia, ac cogitata

digerendi confirmandique arte multa Georgium ab Gallis didicisse; quae tamen orationis propria sunt, verba verborumque complexio, imagines, color, haec omnia sic usurpasse contendam, ut summa in eo appareat patrii sermonis integritas, peregrinitas nulla.

XI. Quamquam illud affirmare non dubitarim, quod ego quidem pro certo habeo, alii fortasse mirabuntur, majorem in eo latinae linguae et facultatem et elegantiam fuisse. Nam quum e Malfatti sermonibus de me ille primum aliquid inaudisset (cujus rei magna semper apud me erit memoria), atque ultro latine ad me scripsisset, Tullii epistolam legere mihi sum visus. Quem postea quum crebrius nec frustra provocarem, intellexi easdem illas virtutes, quae in italicis ejus scriptis elucerent; ubi se ad latina contulisset, condimentum quoddam absolutionemque percipere. Itaque (absit verbo invidia) jam diu sic statui, neminem fere memoria nostra de hujus laudis principatu cum eo certare potuisse, praeter Zannottum. Ceteri enim qui in hoc genere excelluerunt, qui sane sunt pauci, ut dictionis splendore sint ipsi pares, ambitu, concinnitate, lepore certe sunt inferiores. Sequebatur autem ex omnibus maxime Ciceronem, atque hujus ipsius id potissimum scribendi genus, quod in libris de philosophia adhibuisset, subtile quidem illud et pressum, sed tamen nec raris distinctum flosculis, et jucundissimis clausulis interpunctum. Quod quidem quum faceret, in illud molestae imitationis vitium, quod superiorem tenuit aetatem, non incurrebat; sic prorsus, ut non Ciceroni esse similis quia cum expressisset, sed quia similis esset expressisse videretur.

XII. Atque hic quidem diligentissimam adolescens

latinis litteris operam dederat, iisque plus multo, quam domesticis fuerat delectatus. Sed postquam Gallorum libros studiose lectitare coeperat, nescio quo modo se ad eos inclinarat, qui ajunt, hodie bene latine scribi non posse: cujus sectae princeps et quasi caput est Alambertius. Itaque abiecta latinitate, studium omne ad patriam linguam transtulerat, quam se multo verius callere posse arbitrabatur. De quo quum ad me accurate scripsisset, faciendum mihi putavi, ut sententiam ipsi meam viciasim aperirem. Ego enim quamquam et italice scribendi consilium maxime probabam, et in quibusdam a latinis nos longe abesse non inficiabar, hoc tamen defendebam, veterem illum sermonem nobis dumtaxat, hoc est Italis hominibus effingere imitando licere. In quo summam ejus aequitatem cognovi. Nam etsi eam opinionem, quam verissimam putabat, non plane deposuit, tamen et quaedam concessit, et vero permisit, ut rem totam ad virum judicio praecellentem Hieronymum Tiraboschium, quo uterque nostrum amico utebatur, rejicerem. Qui quidem Italorum caussae favere se ostendit.

XIII. Quoniam igitur haec quaestio doctorum hominum coetus jam diu pervagatur, non alienum mihi visum est, quas de ea re inter nos misimus epistolas, eas in lucem proferre, ac nonnullus etiam adjungere familiariter scriptas (1). Quamquam initio id ne facerem, pudore quodam impediebar, quod Georgius multis locis me laudibus oneraret. Verum postea sic cogitavi, intempestivam esse verecundiam, quae amici gloriae obesset;

(1) Vannettii Epistolam pro usu linguae latinae habes in hoc ipso volumine. Caeteras vero tum ipsius Vannettii tum Georgii omittendas censuimus.

quum praesertim pateret, tales laudes ejus esse non judicii, sed benevolentiae testimonium: quare si illas epistolas continuissem, et litterariam rem publicam sine caussa non contemnendo munere fraudatum iri; et vero, quum latina Georgii scripta exstarent praeterea nulla, quippe id ipse neglexit, hoc tantum ejus bonum debita gratia apud posteros cariturum. Nam quod mea quoque responsa adjeci, id me necessario fecisse quivis intelliget. Neque enim alioqui ignorabam, quam iniquam comparationem subirem. Quod si erunt qui dicant, has epistolas in vulgus edi non debuisse, quod nihil magnopere contineant, praeter negotia quaedam et jocationes; ii sic habeant, me Georgii non doctrinam demonstrare voluisse, sed elegantiam, quae quidem in oratione maxime enitet familiari. Quamquam hujusmodi reprehensores nolim omnino ad hoc volumen accedere.

XIV. Hic igitur quum et nostris et externis litteris (nam et Graecis studuerat) ita esset doctus, ut inter eos, qui philologi appellantur, posset excellere; tamen haec ut levia, si minus contemnens, certe non magni faciens, severiores disciplinas sibi potissimum colendas putavit, ad quas quidem natura factus videbatur. Ex ipsis autem his disciplinis duas summe in deliciis habuit, *metaphysicen*, et theologiam (utar enim illo verbo, ut et hoc, pro latino): quae quantam mentis aciem desiderent, quam firmum judicium, quantam etiam moderationem nemo est qui ignoret. Itaque nimirum hinc fieri videmus, ut multi, quibus obtusior est mens, ita in his studiis versentur, ut spissis voluminibus nihil proferant, praeter notissima; alii vero, acuti illi quidem, sed qui ingenio temperare nequeunt, sic notissima quaeque

mutare studeant, ut etiam vera convellant. Qui quidem nihil volunt, nisi novum atque admirabile: eas autem quaestiones inducunt, quas aut explicare nihil prosit, aut etiam obsit attingere. At in Georgio tanta eminebat cum ingenii, tum prudentiae vis, quanta opus erat ei, qui propositum haberet duas illas disciplinas ita inter se conciliare atque conjungere, ut non liceret nostrae aetatis philosophis ad alteram oppugnandam altera jam abuti.

XV. Hoc autem ille sequebatur, ut quum a Pontificum Conciliorumque responsis discessisset, quae ut instinctu divino edita maxime suspiciebat, uni insisteret philosophiae, ad eamque, tamquam ad obrussam, omnia exigeret; theologorum vero etiam gravissimorum auctoritate adeo se duci non sineret, ut sententiam suam quae veritati videretur propior illorum sententiis sine dubitatione anteponeret. Etenim dicere solebat, se existimare plus detrimenti religioni attulisse quorundam theologorum perversitatem, quam pleraque philosophorum etiam vanissimorum volumina. Quod ita esse facile intelliget qui cogitarit, hos ipsos ad impia saepe abiisse non tam consilio, quam indignatione, quod nullam potius religionem mallent, quam ineptam. Itaque pati non quibat, ut aut plura homines crederent quam deberent, aut quaedam secus ac deberent interpretarentur. Tantaeque id sibi erat curae, ut si quid cuipiam non indocto viro excidisset, quod probari non posset, non modo verbis, sed, si opus esset, etiam scriptura confutaret. Quamquam non erat nescius, se eo pacto (quae est hominum in errore pervicacia) invidiam potius, quam laudem invenire; sed et veritatem ille unice sequebatur, nec gloriam

expetebat, nisi eam, quae post mortem ab incorrupta posteritate insolentia jam vacuis impertiri solet, non levis neque caduca, sed solida atque aeterna. Quam quum assiduc ante oculos haberet, ac neminem ad eam, nisi qui bene auderet et naviter, aspirare posse verissime arbitraretur; tantum facinus molitus est, quantum Italorum ante se nemo. Etenim consilium iniit conficiendae *Encyclopaediae* (est enim hujus tam doctae aetatis hoc nomen jure Latii donare) quae cum ab illa Parisiensi plane differret, tum nostrae genti potissimum esset usui. Quod totum est ejusmodi, ut quemadmodum exponam, non reperiam.

XVI. Ac quam magnus quidem ei animus in re suscipienda fuerit, satis liquet; quam constans autem et firmus in persequenda, vel ex eo apparet, quod deterrentium amicorum voces non magis audicrit, quam ignavi audire soleant adhortantium. Igitur ex eo tempore ita se totum in hanc curam abdidit conjecitque, ut incredibiles labores atque infinitas occupationes sustinuerit. Quum enim doctissimi ex tota Italia viri nulla alia, quam gloriae spe invitandi essent, ut quam quisque scientiam vel artem profiteretur, ejus ipsius rationem aut totam, aut per partes explicandam susciperet, perspicuum est, quantum temporis vel una epistolarum scriptio postularet. Quod nisi singularis in eo fuisset et celeritas et sollertia, nunquam tam brevi tam multos ad societatem operis perducere potuisset. Quamquam Malfatto etiam adjutore plurimum usus est. Verum totius rei summa ipsius demum velut humeris nitebatur. Igitur nullus ferme est hodie in Italia magni nominis philosophus aut mathematicus aut alioqui litteratus, cujus ille amicitiam non

et petierit et sit adeptus. In primis autem hos coluit summos viros, Rosalium Mediolanensem, Salutium, cujus illustria sunt in Taurinensem Academiam merita, Lagrangium, qui Berolini magna cum Italiae dignitate Borussorum Regi operam navat, Gregorium Fontanam civem meum, Jordanum Riccatium, Burserium, Spallanzanium, Tiraboschium, Martinium eum, cui in musicis primae facile deferuntur, et Canterzanium, qui Bononiensi Academiae est a secretis. Atque hi omnes fidem ipsi obligarant; Canterzanius etiam curaverat, ut in eam Academiam, quae nemini unquam patuit, nisi doctissimo, adscisceretur.

XVII. Postquam igitur se optime ab sociis paratum vidit; ratus, maximo operi par quaerendum esse patrocinium, duos regios Fratres sapientissime elegit, quorum numini majestatique illud dicaret, Petrum Leopoldum Magnum Etruriae Ducem, et Ferdinandum Archiducem Austriae. In quo difficile est judicare, utrius major eluxerit humanitas ac clementia; certe uterque quum primum ejus rei certior est factus, tantam voluntatem tantumque studium declaravit, quantum non erat exspectandum, nisi ab iis, qui sic persuasum haberent, praecipuum et regum et regnorum cum decus, tum firmamentum in optimarum artium tractatione perfectioneque esse positum. Quae res Georgium mirifice confirmavit.

XVIII. Atque ediderat jam ille quidem libellum (1) de novae hujus italicae *Encyclopaediae* proposito et

(1) Hic quoque prodiit Ferrariae Rinaldi opera anno MDCCLXXVI. hoc titolo: *Prospetto di una Nuova Enciclopedia Italiana*.

enucleate et politissime scriptum. Ex quo licet cognoscere quam ea, quae ad rem pertinerent, omnia in animo meditata atque instructa, et quasi suo quaeque loco sita haberet, sic prorsus, ut quod inceptum in aliis fuisset impudentis temeritatis, in ipso esset perfecti consilii. Nam primo quidem ostendit, quanto in errore versarentur ii, qui hujusmodi libros, ex quibus docti homines magno temporis compendio maximas interdum commoditates capiunt, aspernarentur; deinde gallicam *Encyclopaediam* reverentius quidem, sed tamen ita excussit, ut quam multa in ea peccata essent quam multa omissa, quam multa non necessario congesta demonstraret; tum ipsum consilium suum disertissime explicavit, quod eo praecipue spectare docuit, ut quum italicus sermo vocabulorum ad artes pertinentium inopia laboraret, quibus gallicus abundat, ea vocabula hoc in opere vel obsoleta revocarentur, vel formarentur nova; quum autem pauca admodum ab Gallis de moribus institutisque nostris commemorata essent, theologica vero multa perperam posita, ut et illa adderentur diligenter, et haec quam verissime emendarentur. Postremo universam operis oeconomiam persequutus est sic, ut ne minutissima quidem praetermiserit. Quod ipsum magni ingenii est profecto omnia complecti, nihil denique non videre.

XIX. Hic autem libellus, non dici potest, quam valde omnium voluntates incenderit. Sed nihil aeque Georgio profuit, ac Petri Leopoldi incredibilis favor. Etenim (ut mos est hominibus regia exempla sequi) tota Etruria subito sic est erecta, ut operam ipsi suam ultro per Targionium deferre visa sit. Quibus ille rebus, tanquam secundo aliquo vento, magis et magis provectus,

ne nimia operis tarditate tanta hominum studia refrigescerent, statuit (id quod etiam eo libello attigerat in extremo), ut ex variis aliqnot opusculis ad id exaratis quoddam quasi specimen interea concinnaretur, ex quo periti existimatores, quale porro ipsum opus futurum esset, facile possent conjicere. Itaque rem cum ceteris aggressus, quum *metaphysicae* ac theologiae tractationem ipse eo animo suscepisset, ut theologorum spinas atque ineptias revellens, ac nihil non ad ecclesiae sensum, rectaeque rationis normam directum proponens religioni quam maxime prodesset; dnas commentationes confecit, quibus fere theologiae initia continentur. Namque earum altera est de *Libertate*, altera de *Primaeva culpa*, cui quidem nonnulla subjecit de *Gratia*. Quae qui legat ab eo sane explicata tam subtilia eleganter, tam obscura dilucide, fateatur necesse est, ipsum nec ulli theologorum familiae fuisse addictum, et de omnibus rebus rectissime sentire solitum. Quo magis dolendum est, talem virum tam immatura morte praereptum reliqua deinceps, ut constituerat, exsequi non potuisse. Nam de ceteris quidem sociis dubitare mihi non licet: esset enim probrosae cujusdam socordiae, quod Georgio vivo facturi erant, id mortuo deserere, et cum illius, ac suarum vigiliarum fructum subito delere, tum Italiae externarumque gentium exspectationem frustrari. De ipsis commentationibus plura non dicam, ne, quum specimen, in quo hae sunt, Pazziniorum Fratrum opera, qui in nobilissimis Italiae Bibliopolis numerantur, jam Senis exierit (1),

(1) Hujus Speciminis hae est inscriptio: *Prodromo della nuova Enciclopedia Italiana*. Continetur autem unico volumine,

doctorum judicia videar velle praevertere. Ac scio permultos esse in Italia peregrinos homines, qui haec districto, tanquam gladio, sic calamo jam diu expectent: qui etiam si quid scripserint audiendi non erunt, quum antea de reprehendendo cogitarint, quam plane scire potuerint, an quidquam esset reprehensione dignum.

XX. Quare his missis, de Petro Leopoldo et Ferdinando Fratre dicamus aliquid. Nam quum Georgius pulcherrimam illam epistolam ad eos misisset, quae huic ipsi specimini est praeposita, hujusmodi ab utroque profectae sunt grati animi significationes, ut ceteris principibus documentum dare voluisse videantur, quantum virtuti deberetur. Itaque his imperantibus Italiae non solum gratulari licet, verum etiam majora in dies augurari. Illud autem tacendum non putamus, tantam fuisse in Petro Leopoldo modestiam, ut quum in ea epistola non tam diserte quam vere ab Georgio laudatus esset, eas ipsas laudes vel tolli vel certe extenuari voluerit; benignitatem vero tantam, ut a. d. XII. Cal. April. Vindobona rediens, quum ad Pontem obscuri Lacus venisset, qui locus Ferraria distat tria millia passuum, sui potestatem Georgio fecerit, cum eoque duas ipsas horas sit colloquutus. De quo quidem colloquio ipse Georgius ad nos scripsit in haec verba: *Magnum Etruriae Ducem incepto vehementer favere, idque notissimum esse cupere: quod si etiam privatus esset, tamen ejus clientela mirifice*

optima charta, elegantissimis litteris. Totum Opus (ut est in Epistola Passiniorum ad viros litterarum studiosos VIII. Id. Junias data, quae separatim praemissa est) siquidem ad finem adducatur, XL. volumina facile expleturum videtur.

opus illustratum iri; tantam enim in eo apparere cum ingenii vim, tum disserendi scientiam, ut vix unum aut alterum e litteratissimis cum ipso comparandum putet; postremo se ab illo non humaniter neque amice, sed plane familiariter exceptum esse. Haec de Leopoldo Georgius: et quidem Leopoldus de Georgio ea postea praedicavit, quae summa essent: *Se ex ejus sermonibus magnam cepisse voluptatem; quaedam etiam in eo bona advertisse, quae a doctissimo quoque fere absint.* Quod testimonium est ejusmodi, ut nullam laudationem nullosque honores cum eo conferamus; atque haec commemorantes videamur nobis in beatissima illa tempora translati, quum Divus Augustus et Cajus Cilnius Maecenas suae excellentis fortunae obliti ita se cum Virgiliis et Horatiis exaequare essent soliti, ut eos omni comitate ad mutua necessitudinis officia provocarent. Sic enim sapientissimi homines judicabant, non tam doctos viros principum patrocinio, quam Principes doctorum consuetudine cohonestari.

XXI. Sed in viam redeamus. Etenim Georgius, quamvis in unam *Encyclopaediam* omnes curas cogitationesque conversas habere videretur, tamen, quemadmodum pictores solent inter majoris operis tabulas levandi laboris sui caussa Veneris aut Adonidis caput adumbrare, sic ipse abducebat se interdum ab summa illa intentione, et in levioribus quibusdam rebus, quasi in opportuno aliquo hospitio, requiescebat. Quod quum faceret, nugari se ajebat. Sed utinam ejus nugas imitari nobis liceret. Quid enim illustrius fieri potest epistolis iis, quas in Martini Serlochii Librum ad Marcum Lastrium ornatissimum sibique amicissimum virum

conscripsit (1)? quas si eum triduo absolvisse dixero, vereor, ne vetus proverbium aspernari videar, quo in omni re non quam cito, sed quam bene, quaerere jubemur. Ego vero ut celeritatem per se non requiro, ita si ad eam diligentiae bona accesserint, non minimi facio. Vulgaverat autem Serlochius Neapoli libellum, in quo homo Anglus non indoctus ille quidem, sed absurdus et impudens auctorem se ac ducem Italae juventuti in poetice (2) praebebat. Qui etsi universa ratione haud mediocriter aberrabat (quippe quum omnia fere ad tragicum quoddam et rebus densum genus revocaret) tria tamen inepte praeter cetera posuerat. Nam et poeticen apud nos velut in incunabulis ob eam caussam adhuo versari affirmabat, quod nostri poetae nec Graecos nec Gallicos scriptores evolvissent, et negabat, Areosto magni poetae nomen jure esse datum, qui Romanenses fabellas in poema transtulisset, et Sachespearium omnibus omnium aetatum et poetis et oratoribus fidentissime anteponebat. Quae quidem si cui superioribus temporibus in mentem venisset scribere, nae illi totius Italiae clamores ac sibili fuissent perferendi. Nunc autem, quod ego ne cogitare

(1) Hae Epistolae, quas itidem Rinaldus Ferrariae impressit hoc anno MDCCLXXIX. ita inscribuntur: *Lettere tre di Alessandro Zorzi Veneziano al sig. Proposto Marco Lastri Fiorentino intorno a ciò che ha scritto il sig. Martino Serlok I. dello stato della poesia Italiana, II. dell'Ariosto, III. del Sakespear.* Vide de his Ephemerides Romanas Num. XXXIII. p. 258 et Num. XXXIV. p. 266. Vide etiam Epitomen Actis Litterariis Vicentinis insertam (Vol. VIII. p. 49. Num. 65.) quam ipsi confecimus.

(2) Serlochiani libelli hic est titulus: *Consiglio ad un giovane poeta del sig. Martino Serlok.*

quidem sine pudore possum, eo insaniae ventum est, ut externa amentur, contemnantur domestica; et ut quisque in praecipiendo scribendoque falsum quendam splendorem maxime sequitur, ita in pretio potissimum habetur. Itaque corruptis jam magna ex parte hominum voluntatibus, Serlochii liber et legebatur avidissime, et ferebatur in primis. Hoc autem nescio quod genus grandiloquorum poetarum, qui inanimis sensum, corpore expertibus corpus sine delectu tribuentes infinitam quandam quasi larvarum turbam excitant, ac subinde tum physica tum mathematica inculcant, ita ejus studio flagrabat, ut nihil supra.

XXII. Quum igitur et mali poetae quam maxime faverent, et boni, quorum sane non magna est copia, prope furerent; Georgius in certamen primus descendit. Nec vero totum Serlochii librum excutiendum suscepit, sed tres tantum sententias illas, quas supra demonstravi, sic quidem, ut singulas singulis epistolis refutarit. Atque haec est earum summa: poeticam, quam nos quidem habemus, tantum ab infantia abesse, ut ad extremam senectutem ex eo pervenisse appareat, quod in pejus jam ruat. Ceterum apud nos et ab hinc annos quadringentos fuisse Petrarcham, et Epicum poema multo ante, quam apud reliquas nationes, esse conditum perfectumque. Graecos poetas non solum a nostris non esse neglectos, sed, quod ii quoque sciunt qui historiam levissime attigerunt, singulari studio, fortasse etiam nimio lectitatos. Nam Gallos quidem bonos esse Satyrarum scriptores, Tragoediarum summos; praeterea vix stare. Ad Areostum quod attinet, non, si poema quodpiam Romanensibus fabulis sit contextum, idcirco esse malum.

Ludovici autem poema ita ex his constare, ut nec temporibus nec locis nec unitate quidquam peccet. Porro ut Latini Graecas fabulas receperint, sic ipsum Romanenses pro Graecis adhibuisse; sed et partium convenientiam et decorum et caetera quae in arte spectantur servasse; postremo ipsa haec prodigia nihilo minus exemplorum suppeditare quam Homerica. De Sachespeario se tum denique hujus praestantiam agniturum, si ea, quam unam Serlochius urgeat, Marci Antonii contra Brutum Caesaris percussorem oratio tam pulchra revera sit, quam ei videatur. Hac ille conditione, quam nemo non aequissimam dixerit, orationem ipsam aggressus, sic per omnia versavit, ut plane ostenderit, nec partitione nec arte nec sententiis esse probabilem. Itaque non video quid hac tertia epistola fieri possit vel acutius vel salsius; quam si Anglus ille perlegerit, se victum, ut non fateatur, certe sentiat necesse est. Sed et duae priores cum rationum momentis, tum eruditionis non tam copia quam opportunitate plurimum commendantur; ac praeter quam quod adeo presse ac limate scriptae sunt, ut rerum numerus verborum prope numerum consequatur; praeterea longe abhorrent ab illo contentioso, et, ut sic dicam, pugnaci quorundam stilo, quo nihil veritati potest esse inimicius.

XXIII. Ceterum (neque enim hoc praetermittam, quum ad Italiae laudem pertineat) quoniam Georgius ad retundendum hominem princeps fuerat, ne solus esset curavit postea Vincentius Montius, quem in praestantissimis nostrae aetatis Lyricis ponere non dubito. Is nuper selecta quaedam carmina Liburni vulgavit (1),

(1) Hac inscriptione: *Saggio di Poesie dell' abate Vincenzo*

in quibus quum multa insint vehementia, tristia, horrida, multa sublimia, magnifica, generosa, multa miserabilia, multa faceta, multa acria, multa dulcia et suavia; nihil quidquam reperitur, quod non sit vel Metii auribus dignissimum. Quum autem omnia in sex veluti classes distribuerit, interjecit totidem epistolas ad amicos, quae cum poetica doctrina oblitae sunt, tum genus orationis praeferunt tam jucundi cujusdam succi plenum, adeo molle, tam sponte fluens, ut illud refellat, quod vulgo jactari solet, eundem bonum poetam et probabilem prosae scriptorem esse non posse. Harum ergo epistolarum quae inscripta est Onuphrio Minzonio Ferrariensi, doctissimo viro, ea ipsa nonnulla continet, quibus Serlochii perversitas refutetur. Est autem, ut ceterae omnes scripta divinitus.

XXIV. Atque ut ad Georgium revertar, vel ex hoc libro cognosci licet, quo ille studio quaque intelligentia esset cum in poeticis rebus, tum omnino in iis artibus quae liberales vocantur, ex quibus ac praesertim ex pictura crebras petit scitissimasque similitudines. Etsi quod attinet ad poeticen, non solum rationem ejus omnem habuit animo comprehensam, ut verissime de poetis judicaret, sed versus quoque attigit, ut Sermones ad Horatii exemplum (hoc enim dumtaxat severo genere et propter difficultatem minime trito delectabatur) patria lingua haud absurde scriptitaret; quorum tamen nullum

Monti a Sua Eccellenza la signora marchesa Maria Maddalena Trotti Bevilacqua. Livorno 1779. De Fabula, quae inscribitur *Giunone Placata* quae in postremo libro est posita, vide Ephemerides Romanas Num. XXV. De toto autem libro vide easdem Num. XXXVII. pag. 291.

emisit. Scribebat enim non populo, sed sibi, vel ut animum relaxaret, vel etiam ut stomachum, si quid audisset quod nollet, aliquo pacto, secreto tamen erumperet. Itaque pagellam continuo fere concerpebat. Qui quidem quum poematium Mureti illud, quod institutio puerilis ad fratris filium inscribitur, totidem Italicis versibus ab ipso, ut postea scivi, expressum ad me olim misisset, idque ego jam edere pararem (1); nunquam se exorari passus est, ut auctorem proderet. Usque adeo vel poetae nomen refugiebat; quanquam illum arbitror non quidem hoc nomen, quod sanctum apud omnes semper fuit, aspernatum esse, sed potius in se convenire non censuisse. Convenisset autem profecto, si id agere voluisset. Quod etiam declaravit pulcherrima et philosophiae plenissima Oratione, quam de Vero quod in poetica versatur composuit: quae quum ab eo in conventu Academicorum, quos *Intrepidos* vocant, hoc ipso anno MDCCLXXIX. recitaretur, magna est omnium approbatio consequuta. Haec igitur erant fere, ad quae interdum, velut ex itinere, diverteret.

XXV. Sed postremo vitae suae tempore majus etiam aliquid inchoarat, et quod una tantum *Encyclopoedia* (ferendum enim est hoc verbum) minus esset. Nam quum Bernensis Academia hoc argumentum philosophia posuisset, ut leges novas conscriberent, quibus remota veterum asperitate pro delictorum magnitudine supplicia statuerentur; Georgius in eo quoque genere sui periculum facere constituit. Verum quum paullo serius ad

(1) Hoc poematium adjiciendum curavi Soresii libro de Elementis Italicae Linguae, quum is Roboreti imprimeretur anno MDCCLXXVIII. in usum patrii Gymnasii.

id animum adjecisset, putaretque cognoscendis, quas quisque Bernam misisset, commentationibus mensem Julium, qui proxime effluxit, praestitutum esse; incredibile est, qua animi contentione quantaque celeritate cum in luculentissimo quoque auctore quaenam Greci Romanique in poenis irrogandis sequerentur quaesierit, tum Gothorum Francorumque et Longobardorum, denique recentium, qui Europam incolunt, populorum leges evolverit. Etenim in animo habebat ita has omnes in unum conferre, ut quod in quaque boni esset excerpens repudiansque contraria, saepe etiam novis vetera commutans, addens aliquando sua, integrum scilicet legum quasi corpus conficeret, in quo proposita illa justitiae regula diligentissime servaretur. Quibus rebus dum homines ab judiciorum iniquitate eripere studet, dumque alienae vitae praesidium quaerit, invenit exitium suae. Etenim tot vigiliae tantaeque laborum moles, quae vel robustissimum fatigassent, ipsum natura infirmiorem plane fregerunt. Itaque dissoluto jam stomacho et molestissimum profluvium contraxit, et exeunte Majo aliquantulum sanguinis exscreavit. Quae ille, ut solebat, ita contempsit, ut quamvis amici eum orarent atque obsecrarent, ne ad interitum sciens prudensque rueret; nihil tamen de quotidianis occupationibus relaxarit. Sic enim sibi persuaserat, quidquid sanguinis ad eam diem exspuisset, id vel e faucibus vel certe e capite fluxisse. Qui si timidior fuisset, diutius se nobis conservare potuisset. Verum in eo ipse scilicet malo suo fato ducebatur, quod nihil mali suspicaretur.

XXVI. Interim accidit, ut adolescens nobilissimus Philippus Calcagninus Francisci filius Ferrariensis, qui

ob singularem virtutem in oculis erat omnium civium, Mantuae paucorum dierum morbo consumeretur. Cujus rei nuntius tantum doloris Georgio attulit (fuerat enim ipsi in familiarissimis) quantum verbis declarari vix queat. Igitur quum ad corporis defatigationem animi accessisset aegritudo, velut ipso amico jam vocante atque urgente, quem etiam scripto laudarat, ad certam mortem in dies properare videbatur. Nam et macies in eo solito grandior, et ceterae notae penitus inclusam morbi vim ostendebant, quae ad ultimum sic erupit, ut nullum remedio locum reliquerit. Etenim quadam nocte quum in eo esset, ut se lecto reciperet, plurimum sanguinis subito ejecit. Ac proximis etiam diebus eodem morbo jactatus est, quamvis non ita frequenti sputo. Verum accedente febri, tenui illa quidem, sed quae ipsa assiduitate corpusculum ad tabem adduceret, omnis continuo est a Medicis abjecta salutis spes. In hoc quum mensem fere consumpsisset, quoniam ultimum jam diem sibi adesse intelligebat, priusquam testamentum faceret, misit ad Malfattum qui nuntiaret, se illum pro veteri amicitia suis bonis, quantacumque essent, heredem esse cupere. Quam ille tam luctuosam hereditatem quum lacrimans recusasset, Christinus Bevilaqua heres est scriptus.

XXVII. Secundum haec gravior quotidie morbus esse coepit, nam ex thoracis hydrope etiam animae accesserat difficultas. Itaque Georgius, rebus rite compositis, quum illud quoque Virgilii exemplo mandasset, ut scripta, quaecumque apud se essent, comburerentur; tanta constantia, atque animi praesentia, ut caelum identidem spectans unus in omnium gemitu laetari videretur, quod se ad multo meliora proficisci confideret, anno

trigesimo secundo, pridie Idus Julias sub occasum solis decessit. Elatus est autem honestissimo funere, et sepultus ad Divi Francisci in monumento Bevilaquarum, jubente ipso Christino patrono suo. Hic quam omnibus esset carus, hoc maxime tempore est cognitum. Nam et quamdiu valetudine implicitus jacuit, universa civitas incredibili fuit cura, et ubi primum de ejus morte auditum est, is omnium ordinum exstitit moeror, ut non alienum, sed civem lugere viderentur. Etenim ita se perpetuo gesserat, ut neminem laederet, prodesset quamplurimis.

XXVIII. Hic in deligendis amicitiis, quo quisque esset animo, qua indole, quo ingenio spectabat: genus, fortunam, vestem haud magni faciebat. Atque ubi semel quempiam in amicorum numerum admisisset, nefas habebat non usquequaque ei credere. Malebat enim vel saepius decipi quam semper diffidere. Quod contra fit a plerisque, qui propterea de aliis injuriose suspicantur, quod ipsi sunt versuti atque improbi. At in Georgio nullae erant latebrae, simulationes nullae, nullae fallaciae; omnia aperta, exposita, plena ingenuitatis, plena candoris. Itaque illud suo jure usurpabat, neminem sibi deteriorem videri quam qui nunquam deciperetur. Nec vero non in primis operosus atque efficax ipsius erat amor; nullum enim unquam laborem amicorum caussa detrectavit. Ac solent quidam, si quo in emendando scripto eorum judicium requisieris, sive pigritia sive incuria quadam alienae laudis, seu, quod turpissimum est, invidia id totum levi brachio agere. Hic autem etiam quum propriis multis occupationibus distineretur, tanto studio alienas excipiebat subibatque, ac consulentibus adeo facilem se praebebat, ut otio, quum maxime egeret, unus

abundare videretur. Quod ego non auditum, sed cognitum praedico. Neque enim solum nunquam commisit, ut ejus litteras desiderarem (in quo illud me ut ipsi molestior essem cogebat, quod nulla ab eo epistola inanis aliqua re utili aut suavi veniebat); verum etiam saepius ita mihi praesto fuit, ut si non mea sed sua res ageretur. Idque in eo quod dicam maxime sum expertus. Nam quum libellum de Martialis poesi contra Serrani viri eruditissimi sententiam latine exarassem, ipse mihi in eo edendo diligentissimam operam navavit; quum autem Serranus volumen mihi regessisset, quo non Martialem modo, sed et Lucanum et Senecam in caelum tollebat, hujus voluminis epitomen patrio sermone ita confecit, ut et quaestionem omnem retractando expedierit, et adversarii argumenta funditus infirmarit. Quam ego epitomen, quae quidem est in manibus (1), eo nunc impensius non laudo, ne caussae potius quam veritati videar suffragari. Sed harum rerum periti qui erunt legentes facile intelligent, quantum luminis inesit quantum roboris quantum etiam hilaritatis atque illius perelegantis dissimulationis, in qua multus fuisse Socrates dicitur, et quae ad evidentiam saepe plurimum valet. Nam Lampillae quidem, viro alioqui doctissimo, facile ignosco, quod in ea Epistola (2), quam contra Tiraboschium proxime

(1) Haec Epitome relata est in XII. volumen earum Ephemeridum quae Mutinae prodeunt hoc titulo: *Continuazione del Nuovo Giornale de' Letterati d' Italia*. Lege a pag. 184. ad pag. 231.

(2) Haec est Epistolae inscriptio: *Risposta del sig. Ab. D. Saverio Lampillas alle accuse compilate dal sig. Ab. Girolamo Tiraboschi nella sua lettera al sig. Ab. N. N. intorno al Saggio Storico-Apologetico della letteratura Spagnuola*. Vide p. 103.

emisit, nihil hoc scripto furiosius esse praedicet, nihil urbano homine indignius. Qui quidem quam bonus urbanitatis judex sit, ex hac ipsa epistola satis, ut arbitror, apparet.

XXIX. Erat igitur in Georgio, quemadmodum dicebam, summa in colendis amicitiis diligentia summaque humanitas, ut non modo nemini quidquam, quod honestum esset, denegaret, sed quorundam etiam levitates atque ineptias incredibili alacritate exsorberet. Atque hinc facile est existimare quam liberalis futurus fuerit, si aequiore fortuna usus esset. Quamquam ne haec quidem virtus ei defuit; si quidem non re, sed animo metienda est. Nam et insita quadam de notis ignotisque juxta bene merendi cupiditate flagrabat, et suas copias, quantaecumque essent, ita amicis aperiebat, ut nihil exciperet. De iis quae ad se pertinerent et saepe et multum loquebatur; aliena vero, quae sibi commissa essent, neque enim scrutabatur, fidelissime reticebat. In familiaribus disputationibus, quarum sane studiosus erat, non, ut multi faciunt, admirabilia quaedam et opinioni omnium contraria sequebatur; sed tum quoque quod simillimum veri putabat, id defendebat. Quamvis autem ita esset in dialecticis exercitatus, ut quemvis et acumine et arte facile superaret, tamen hoc tanto bono minime abutebatur: quin contra illud servabat, ut et refelli sine pertinacia se sineret, et refelleret ipse sine iracundia. Itaque haud discerneres, utrum in assentiendo an in negando esset blandior.

XXX. Quoties de rebus gravioribus scripturus esset, diutissime secum commentabatur: mox ubi excogitasset, amicorum doctissimos, sed in primis Malfattum

velut in consilium adhibebat; hi si probassent, tum demum ea eodem quo cogitasset ordine, prope etiam eisdem verbis pagellae celeriter tradebat. Porro quanta in eo esset cupiditas cognoscendi semper aliquid atque discendi ex eo patet, quod Hebraicae quoque linguae studium proxime arripuerat, in quo quum impatienti fere animo versaretur et concitato, brevi magnos progressus effecerat. Qua de re ad me scribens his verbis usus erat; *ad caeteras meas insanias haec etiam accessit, ut vellem hebraice discere.* Quae idcirco attuli, ut ejus modestiam declararem: quae etiam caussa fuit, cur in eo libello, quem de *Encyclopedia* conficienda scripsit, nomen suum non inscripserit, quod diceret invidiosum esse, mediocrem quendam hominem tanti operis auctorem praedicari. Neque vero ejusmodi erat haec modestia, ut superbiae suspicionem habere posset. Sunt enim qui se ipsi dedita opera usque ad fastidium vituperant, quo magis ab aliis extollantur. At Georgius ut se apud alios laudari nolebat, ita apud se ipsum facile patiebatur; etenim ajebat, se eos, a quibus praesens laudaretur, si praeter modum id facerent, corrigere posse, ceteros vero non item. Se autem suarum rerum aequissimum aestimatorem arbitrabatur. Ex quo intelligi licet, quam non esset ipse assentator: ac poterat saepe falli, ut humanus; sed nunquam non dicebat ea quae sentiebat.

XXXI. Lenitate in primis delectabatur, et vero ita erat natura lenis, ut quamquam illud in ore haberet, eos, qui in loco irasci nescirent, ad eorum numerum esse revocandos, qui neque sibi neque alteri; tamen ipse quum ferveret maxime (quod raro admodum accidebat) vix paullum succensuisse videretur. Itaque haud facile

dixerim, utrum gratior esset in beneficiis memoria custodiendis, an mitior in obliviscendis injuriis. Qui quidem etiam ubi veritas pateretur, multo erat ad laudem quam ad reprehensionem propensior, ut in ea ipsa Epitome, de qua supra dixi, professus sit se id potius spectasse, ut Tiraboschium defenderet, quam ut Serranum incusaret. Animo fuit adeo firmo atque invicto, ut nullis unquam rebus neque secundis sit elatus, neque fractus adversis; quumque suorum neminem haberet, praeter unam matrem, huic ipsi morienti adesse potuerit, nec ullam vocem viro indignam emiserit. Quae tanta ejus fortitudo non tam quidem philosophorum libris, quam religione confirmata, in ipso vultu insidebat, quem, ut de Socratico ferunt, nemo unquam turbatiorem vidit. Sacerdotis personam gravissime sustinuit. Nam et elegantiam in cultu eatenus adhibebat, ut conspici non posset, et cum quadam naturae aequalitate, tum etiam judicio a feminarum consuetudine, atque a ceteris exquisitioribus oblectamentis abhorrebat. Quae quidem hoc saeculo atque hac tanta morum licentia maxime commemoranda censui. Neque tamen non in primis urbanitatem exercebat, ut aeque severitatis et levitatis notam effugeret. Jocos facetiasque, quae liberales essent atque e re ipsa orirentur, libentissime audiebat, ipseque in eo genere praesertim quum scriberet, excellebat. Verum semper cavit, ne dum ingenii laudem consequeretur, amitteret temperantiae.

XXXII. Statura fuit justa, corpore per quam exili, vividis oculis, sed qui placide contuerentur, hilari facie, voce non jucundissima. Hujus ego laudes melius in pauca conferre non potero, quam si dixero, cum nulla in

re unquam a vero atque a recto recessisse, nisi quod sibi minus pepercit. Itaque (quod magna molientibus ferme accidit) ante e vita migravit, quam Specimen illud ipsum, quod tantis laboribus concinnarat, typis editum videre potuerit. In quo nisi sciremus, Dei Optimi Maximi providentia omnia administrari, jure quereremur, quod quum multi diutissime vivant, qui pecudum ritu vitam per otium transigunt; quibus solers ingenium inest atque efficax animus, ii plerumque cito exstinguantur; quod contra, illos brevi occidere, hos immortales esse oporteret. Ac tali profecto in numero fuit Georgius, in quo et Venetiae honestissimum civem, et Ferraria gratissimum hospitem, et Bononiensis atque adeo Roboretana Academia clarissimum Socium, et tota Italia egregium bonarum artium cultorem, et nos ipsi amicorum dulcissimum amisimus.

DE

M. VALERII MARTIALIS

POESI

EPISTOLA

Sed temperatae suaves sunt argutiae
Immodicae offendunt . . . . .
PHAEDR. lib. V. Fab. V.

JUDICIUM HIERONYMI TIRABOSCHII

DE

MARCO VALERIO MARTIALE

(*Hist. Lit. Ital. T. II. L. I. c. XXVII. et XXVIII*).

» Plausibus Romae, honoribusque est affectus,
» sic tamen, ut ditior inde non discesserit, atque adeo
» a Plinio Juniore pro amicitia, grataque quorundam
» versiculorum, quos in ejus laudem composuerat, me-
» moria viatico adjutus fuerit, ut ipse Plinius narrat in
» epistola, quam audita Martialis morte ad Priscum mi-
» sit. In qua quidem admodum honorifice de hoc poeta
» scribit: *erat*, inquit, *homo ingeniosus*, *acutus*, *acer et*
» *qui plurimum in scribendo et salis haberet et fellis*,
» *nec candoris minus*. Et vero Martialem haud medio-
» crem a natura ad poesim indolem esse consequutum,
» ingeniumque habuisse iis facultatibus praeditum, quas
» in eo agnoscit Plinius, nemo, opinor, negaverit. Sed
» illud demum quaeri debet, utrum recte, an perverse
» uteretur tali ingenio. Hic quoque suam quisque in judi-
» cando rationem sequitur; nec quidquam est inutilius,

» quam eum, qui de auctore quopiam semel bonam » opinionem imbiberit, velle subito ad contrariam tra- » ducere. Equidem illud unum annotabo, saeculo XVI, » quum omnium opinione optimus in Italia gustus flo- » reret, exiguo in honore Martialem fuisse, vixque di- » gnum habitum, qui cum Catullo conferretur. Nota est » in primis annua illa caerimonia, qua vir clarus An- » dreas Naugerius aliquot hujus poetae exemplaria stato » die Vulcano sacrificabat (*Jovius in ejus elogio*). Giral- » dus etiam generaliter affirmat (*de Poet. Hist. Dial. X*), » nec omnia, nec plurima Martialis epigrammata ejus » aetatis doctis placuisse, seque nonnulla selecturum » fuisse dicit, quae digna lectione existimasset, reliqua » salsamentariis ad amiciendas merces permissurum. » Praeterito saeculo quum argutiarum studio ingenio- » rum praestantia aestimabatur, summo in honore Mar- » tialis erat; nec quisquam, qui Latinum, aut Italicum » epigramma sine acumine conclusisset, inepti, ac ple- » beji poetae notam effugiebat. At sano renascente gu- » stu, iterum Martialis cecidit; et vero ego arbitror, fu- » turum, ut nostrae aetatis poeta, si cum hoc auctore » deprehenderetur, erubesceret. Neque tamen negari de- » bet, aliquot apud Martialem exstare singularis leporis » epigrammata, unde omnis sententiarum affectatio ab- » sit, omnisque illa ambiguitatum futilitas, in qua cae- » teroqui multus est: ut nihil de obscenitate dicam, qua » nimium impudenter suos versus saepe inquinavit. De » Martialis igitur epigrammatibus nemo fortasse rectius » judicavit, quam Martialis ipse pervulgato illo versu » (*Lib. I. Epigr. XVII*):

Sunt bona, sunt quaedam mediocria, sunt mala plura.

THOMAS SERRANUS

CLEMENTINO VANNETTIO SUO S. P. D.

Malfattus noster legit mihi nescio quid epistolae tuae, eum, inquam, locum, quo literariam Tiraboschii historiam summis effers laudibus, et praeterea petis ab eo, ut meum de hoc cl. Auctore judicium exquirat, in his praesertim, quae de Martiale, Seneca et Lucano scribit. Atqui nihil necesse est, meum super hac re judicium quaerere; jam pridem illud literis latissime consignavi, quae brevi fortasse publici juris erunt. Nunc illud leviter tangam. Ea, quae de Martiale tamquam ex tripode oracula pronuntiat Tiraboschius, omnia esse falsa (1), nec ab homine mediocriter erudito sine risu excipienda. Sacrificium Naugerianum mera fabula, a Paullo Jovio conficta, a Famiano Strada ornata, et ab omnibus fere, qui hos subsequuti sunt, totidem fere verbis, ut fit, transcripta. Novum id videri poterit, at quicumque rationes nostras, quibus illud firmavimus, et Jovii vel dolum, vel errorem deteximus, viderunt, fatentur uno ore rem esse plane demonstratam. Jam quum nullo in honore fuisse apud Italos poetam toto saeculo

(1) Talia esse probavimus in epistola, qua sequenti Vannettianae respondimus. Et tamen mitius illa dixissemus, si cl. Tiraboschius mitius cum Hispanis in sua Historia literaria egisset; vel etiam, si hanc nostram epistolam, ad amicum amice et libere scriptam, in eruditorum manus venturam, unquam nobis in mentem venisset.

XVI scribit Tiraboschius, illud unum mihi videtur probare, se epigrammatarios Italos illius saeculi non legisse: quum inter illos, quadraginta et eo amplius sint, si bene memini, qui Martialem diligentissime sint imitati. Omitto judicium Ludovici Vivis Valentini, qui eo saeculo floruit, et optime omnium in his rebus judicare creditus est (1). Omitto sexcenta alia, quae si Tiraboschius vidit, malae fidei; sin autem, summae levitatis arguendus est, qui tam tenuiter viaticatus ad scribendum accesserit. Porro Martialis caussa non ejusmodi est, ut de illa liceat Tiraboschiis judicare. De ea judicavit argenteum saeculum, in quo scribebat, et in quo coci et muliones melius de his rebus judicabant, quam qui hodie familiam ducunt in literis, ut utar Mureti verbis. Scio hujus ipsius Mureti judicium parum Martiali favere; verum et illud scio, Mureti judicium Justo Lipsio judicii dissimile videri; Adriano Turnebo valde displicere; ab innumeris aliis doctissimis viris ut insubidum, et insanum explodi. Quae autem ex Giraldo affert idem Tiraboschius, non me movent; et cur me moveant? ut enim scriptum reliquit Julius Caesar Scaliger, nemo pejus de poetis judicavit, quam qui de eorum vitiis scripsit. Miror omisisse Tiraboschium verba, quae hodie plerique (2) Giraldo tribuunt; nimirum Martialis epigrammata placere non posse, nisi asinis. Fortasse religio illi fuit in censum asinorum adscribere Plinios, Suras, Parthenios, Turanios, et id genus alios antiquorum. Fortasse non ausus est inter asinos numerare Pomponios,

(1) *Ex Martiale obscena rejicienda: in reliquo, testimonio Plinii Caecilii credamus.* L. III. de trad. Discipl.

(2) *Quadrius, Barbadignus, Popeblundius.*

Calderinos, Perottos (1), Casanovas et similes, qui saeculo XV. ex hujus poetae maxime libris et gustum in literis, et linguae latinae delicias renovabant; adeo, ut qui auctores ejus saeculi attente legerit, facile videat, latinae linguae, quam hodie quidem habemus, parentem si non unicum, certe praecipuum esse Martialem (2). Nisi forte de auctoribus renascentium literarum minus sollicitus Tiraboschius, sibi tamen persuadere non potuit, asinos fuisse Sannazarios, Politianos (3), Crinitos, Scaligeros, Radleros, Lipsios, Turnebos, Grotios, Farnabios, Vavassorios, Juventios (4), Morhoffios, Funcios, qui omnes, aliique non minoris famae hunc Hispanum poetam in caelum ferunt, sic, ut eorum aliqui unicum in suo opere perfectum existiment, alii ipsi Catullo longe anteponant; alii Graecis et Latinis, quotquot sunt, omnibus praeferant; alii eum unice iis, qui epigrammata scripturi sunt, legendum praecipiant; alii totam artem epigrammatariam ex iis fere, quae in illius epigrammatis observata sunt, natam putent (5). Quidquid igitur horum sit,

(1) *Excessit facundia, acumine, copia, suavitate, salibus omnes, qui ante et post eum carmina scripserunt.* Nic. Perottus in vita Martialis.

(2) Id praecipue constat ex Cornucopia linguae Latinae, seu Commentario in Martialem ejusdem Perotti, unde Ambrosius Calepinus, atque alii Lexicographi optima quaeque sumpserunt.

(3) Sannazarius et Politianus, duo ex optimis epigrammatariis, Martialis imitatores.

(4) *Omitto recentiorum de illo testimonia plena dignitatis, quibus adstipulatur consentiens omnium aetatum fama,* Juv. in vita Mart.

(6) Franciscus Vavassor in libro de epigrammate.

habeamus gratiam Tiraboschio, quod tam lepido dicto, nam sic insulsitatem illam plusquam scurrilem appellat nescio quis (1), uti noluerit in Martialem; tametsi ea, quibus utitur, nihilo sunt valentiora. Video me diutius, quam putaram, in uno Martiale immoratum; et tamen transilire non possum pulcherrimam nuperi scriptoris animadversionem. Ait, inquam, Tirsboschius, observasse se, poetam nostrum iis saeculis, quibus gustus in literis maxime fuerit incorruptus, nullo in pretio fuisse; contra vero illis, in quibus corruptissimus, summo fuisse in honore. Sic saeculo XVI prorsus jacuisse; saeculo autem XVII omnibus in deliciis fuisse; nostro denique saeculo ita despectui haberi, ut si quis cum hoc auctore deprehenderetur, valde erubesceret. O animadversionem ridiculam! Erubescerem ego quidem, si in hac literarum luce tam futilis ineptia mihi vel stertenti excidisset. Tria sane continet jucundissima animadversio, peraeque falsa omnia. Nam neque saeculo XVI despectus Martialis fuit, ut superius ostendimus; neque saeculum XVII clarissimis criticis, et poetis caruit, in Gallia praesertim, et Batavia; ac de Gallis hujus saeculi doctissimis testatur Franciscus Vavassor cum bonus poeta, tum optimus ipse criticus, summopere omnibus Martialem placuisse, et ob eam caussam se ad ejus lectionem accessisse (2). De Batavis vero, ut alios

(1) Barbadignus, vel quisquis sub hoc nomine latere voluit in epistola de Poesi.

(2) *Satis mihi futurum, si M. V. Martialem legerem, quem alioquin doctissimi quique existimarent ad eruditionem, et copiam latini, poeticique sermonis perutilem.* Vavas. de Epigr. cap. 1.

mittam, valde peregrinus sit in re literaria, qui quanti nostrum faceret, quantum illius lectionem omnibus, quibus epigrammata facienda essent, commendaret Grotius, ignoret (1). Ac ne nostrum quidem saeculum a Martialis lectione et gustu sic abhorret, ut Tiraboschio videtur. Daniel Morhoffius, Thomas Popeblundius, Nicolaus Funcius, Dominicus Decolonia, Josephus Juventius vix ulli superiorum aetatum in laudando lepidissimo, et ingeniosissimo poeta concedunt. Et quidem Morhoffius, quod alii ante ipsum fecerant, non veretur illum in arte epigrammatis Catullo anteferre. Juventius etiam politissimas in eum notas scripsit, in quibus et nitor et elegantia et brevitas et perspicuitas de palma inter se mihi videntur certare. Putasne, mi Vannetti, futurum, ut erubesceret Juventius, si cum suo Martiale esset deprehensus? Sed manum de tabula. De Seneca et Lucano alias, et brevius: nam eorum caussa expeditior; etsi plura in illis, quam in Martiale peccat Tiraboschius. Serranum tuum, ut facis, ama, et vale.

(1) *Martialis iis, qui epigrammata volunt scribere, et legendus, et imitandus est; nihil enim in illo genere reperiri potest tersius, argutiusque.* Grot. vol. IV.

CLEMENTINUS VANNETTIUS

T. SERRANO S. P. D.

I. Si tuum illud opus, mi optime Serrane, quo Hispanos Latinos auctores a doctorum hominum reprehensionibus defendendos suscepisti, ita, uti futurum speraveram, in lucem prodiisset; nae ego avide perlegissem cum ea, quae pro Senecis et Lucano, tum ea praecipue, quae pro Marco Valerio Martiale, contra Hieronymi Tiraboschii, florentissimi historici, sententiam, copiose abs te scripta esse intellexeram. Sed quoniam aliter evenit, cupiditate quadam impulsus quamprimum explorandae, cognoscendaeque rationis tuae; quod scilicet valde mihi difficilis, atque implicata cum caeterorum, tum Martialis maxime caussa videbatur, sic, ut tale inceptum vehementer mirarer; quum longum esset exspectare, dum ipse liber vulgaretur; data hac de re ad Malfattum nostrum, humanissimum, ac pulcherrimarum artium studiis ornatissimum virum, epistola, tuas, uti volueram, elicui literas.

In quibus quidem si beatae cuidam facundiae, atque incorruptae latini sermonis integritati par quoque rerum pondus respondisset, facile mihi omnis illa dubitatio, admiratioque exempta esset. Quod quidem si oratione tua consequi volebas, efficere debebas profecto, ut, quando in praesentia de uno tantum Martiale mecum agere constitueras, illa quae initio posueras, verba firmis ac solidis argumentis comprobares: *ea, quae de hoc auctore,*

tamquam ex tripode, *oracula pronuntiat Tiraboschius, omnia esse falsa, nec ab homine mediocriter erudito sine risu excipienda.* Sed quoniam nihil aliud fecisti, nisi et Tiraboschium acerrime vituperasti, et Martialem effusissime laudasti, nulla probabili subjecta ratione; ita nemini mirum videri debet, si hac quidem in re adeo tibi non assentior, ut pristinum meum illud judicium multo etiam magis confirmem, te duram provinciam, vel, ut dicam apertius, malam omnino caussam suscepisse. Ne tamen inconsulto, ac temere id dicere videar, ad singula epistolae tuae capita respondere constitui.

II. Quod igitur primo loco scribis, Naugerianum sacrificium, quod memorat Tiraboschius, meram fabulam esse a Paullo Jovio confictam, a Famiano Strada ornatam, et prope ab omnibus, qui hos subsequuti sunt, totidem fere verbis transcriptam ; idque te solido in opere multis argumentis, non probasse, sed demonstrasse; equidem neutram in partem contendere ausim ; quum et Jovium non semper bonae fidei historicum repertum esse sciam, nec tamen argumenta tua, cujusmodi sint, adhuc viderim. Verum etiam ut convincas mendacium, nihil aliud inde sequitur, nisi extrema hac ignominia non esse affectum Martialem, non autem continuo esse honoratum. Et praeterea quamvis id totum Jovius confinxisse, Strada exornasse, caeteri transcripsisse credantur; ipsa tamen ratio docet, si Martialis praeclaram apud doctos, atque elegantes XVI sacculi homines opinionem habuisset, futurum fuisse nunquam, ut Naugerii laudatores tale aliquid ei affingerent; valde enim tanti viri famae nocuisset : non minus, quam si dictus esset

Horatii aut Catulli poemata quotannis cremare; quod nemo, ne si verum quidem esset, de eo scriberet, quem aeternae gloriae vellet commendatum. Ex quo intelligitur, hanc rem seu veram, sive fictam, minime esse Martiali honorificam.

Nequeo tamen adhuc mihi plane persuadere, Tiraboschium, cujus cum in affirmando magna solet esse religio, tum in historicorum erroribus, commentisque pervestigandis admirabilis diligentia et sagacitas, hac demum in re ita socordem fuisse, ut quidquid ab aliis traditum occurrebat, nullo judicio adhibito, temere adsciverit. Quod si solitus esset externorum hominum laudes libenter obscurare, quo magis elucerent Italorum, hic quoque fortasse non negligentiae potius, quam mali cujusdam artificii esset accusandus; sed quum ab hoc vitio quam longissime absit, seque omnibus aequum sine discrimine praebeat, nulla talis in eum cadere suspicio potest.

Caeterum et Vulpius, quum Naugerii vitam ex veteribus commentariis, monumentisque contexeret, inter reliqua ejus facta hoc quoque pro comperto posuit; et quidem (quod est vel maxime notandum) tamquam certissimum testimonium summae ipsius in latina poesi elegantiae ac religionis; postquam enim alia enumeravit, quae hanc laudem comprobarent, haec in cumulum addidit: *ex quibus omnibus facile intelligitur, quam teretes, religiosasque aures habuerit, quam limato et acri judicio fuerit: quum et optimos tantum scriptores perlegeret, ac deterioribus ita infensus esset, ut multa Martialis volumina, non sine diris atque execrationibus, stato die quotannis incenderet. Quo tamen facto in multorum incidit*

reprehensiones, qui videlicet acerbe ferrent, eum poetam despicatui haberi, quem et ipsi vehementer probarent, et, si Diis placet, Catullo etiam anteponerent. Quae quidem postrema per ironiam dicta satis declarant, quo loco ipse Vulpius, vir graece latineque in primis doctus, magnique in hoc genere judicii, Martialem habuerit.

III. Verumtamen (ne quid videar dissimulare) illud in quaestionem revocari utique posset, an Naugerius, si fecit quod accepimus, laude dignus haberi debuerit. Equidem, ut libere, quod sentio, dicam, distingui arbitror oportere. Si enim Martialem respicimus ut poetam, quum mala in eo poemata longe plura, quam bona reperiantur (atque haec est, ut videbimus, ipsius Tiraboschii propositio, vera sane, atque omnium elegantium hominum confirmata consensu), non video, quam reprehensionem meruerit is, qui mala volumina comburere, quasi iratas musas placaturus, quotannis consueverit. Sin autem eundem Martialem ut Latinum probum auctorem spectamus, et ut eum, qui multam eruditionem suppeditare possit (in quo tamen nullam ipse omnem casus laudem sibi vindicat); fatendum est profecto, nequaquam utile fuisse, ut cujusquam opera interiret.

Verum Naugerius et praeclare intelligebat, suum illud sacrificium hujus poetae scriptis, propter exemplorum multitudinem, minime interitum allaturum; neque id ullo modo spectabat: tantum volebat suum in mala carmina odium testificari, justumque ac debitum ipsis honorem anniversaria caerimonia persolvere. Quo facto quum Catullum imitaretur, qui et ipso Volusii annales ruris, et inficetiarum plenos, infelicibus lignis ustulandos tradebat; sicque quam limato esset judicio,

declararet; recte mihi quidem concludi posse videtur, nequaquam fuisse vituperandum.

IV. Tu interea pergis, ac Tiraboschium ignorantiae arguis, quod dixerit, *toto saeculo XVI. Martialem apud Italos nullo in honore fuisse.* Quam quidem sententiam vide, ne tu paullo durius converteris, quam ab eo est elata. Illud enim Horatii,

Nec verbum verbo curabis reddere fidus
Interpres.......

ibi demum quadrat, ubi neque interpres ullam habet suspicionem, neque is, cujus verba vertuntur, in invidiam ob dictum vocari potest. Si igitur diligentius Tiraboschium inspexeris, videbis, eum, non quidem plane *nullo in honore Martialem eo saeculo fuisse* dicere, sed *exiguo, vixque dignum habitum, qui cum Catullo conferretur (Hist. Lit. t. I. l. I. c. XXVIII. pag. LXXVI.).* Quae ita elata, quanto mitiora sint, vides. Nam ego quidem hoc ipsum isti poetae honorificum arbitror, quod cuiquam in mentem venerit dubitare, an posset cum Catullo comparari.

Tu vero hoc totum falsum esse affirmas, et Martialis diligentissimos imitatores ex eo saeculo quadraginta, et eo amplius opponis, magnum profecto gregem. Verum si minutos quosque, ac plebejos poetas complecti est animus, nihil sane refert, isti quid fecerint. Sin autem de optimis tantum, ac nobilissimis loqueris, hi vero, ut ipsa eorum carmina testantur, non fere aliunde, quam ex purissimis aureae aetatis fontibus, omnem in omni poematum genere elocutionem, et succum, et filum derivarunt, nec rivulos istos, si non semper lutulentos, certo minime limpidos, sunt consectati.

V. Nemo est, opinor, tam durus censor, qui non Bembum, et Flaminium, et Zanchium inter optimos, atque adeo principes ejus saeculi poetas collocet. Sed neminem rursus tam hebeti acie esse arbitror, qui eorum rationem non dispiciat, qui non videat, Flaminium ad Catulli exemplar se totum composuisse, merasque delicias spirare; Bembo nihil esse purius, simpliciusque, nec magis ab omni falsorum acuminum pravitate alienum; Zanchium vero ita sententiarum concinnitatem adamasse, ut eas nec posuerit exquisitiores, nec bellas usque inculcaverit; et hunc quidem, ut et Bembum, quod ad dictionem attinet, Tibullo quam alii cuiquam fuisse propiorem.

Quid de Naugerio dicam? quid de Mureto? quorum alter, ut vidimus, Martialis libros comburere dictus est; alter, ut videbimus, Catullum ab ineunte aetate unice amavit. Exspectas fortasse aliquid de Cotta, de Bonfadio, de Fumano, de Archio. Ego vero non meum, sed ipsius Vulpii, doctissimi viri, super istis judicium proferam. Is enim quum in egregia illa ad Fracastorii poemata praefatione, leves quosdam homines depinxisset perperam de poetis judicare solitos, subjunxissetque: *Horum judicio Catullus, quem Aulus Gellius elegantissimum poetarum appellare non dubitavit, quem omnis antiquitas sic est admirata, ut docti cognomine donaverit, asper, atque horridus est, iis vero numeris gaudet, quos eorum delicatissimae aures ferre nullo modo possint; penitus insuper argutiis caret (hoc nomine ipsi pueriles ineptias, crebras paronomasias, exquisita antitheta, absurdas translationes, et reliquas hujusmodi orationis labes honestare consueverunt)*; paullo post ad propositum rediens;

ab his igitur (inquit) *si sibi constare velint, consilium hoc nostrum edendi tanto intervallo Hieronymi Fracastorii poemata, item Joannis Cottae, Jacobi Bonfadii, Adami Fumani, Nicolai Arohii carminum reliquias, improbari certe, fortasse etiam derideri necesse est. Fracastorius etenim, dummodo Virgilianam illam gravitatem, heroicis carminibus scribendis, adsequeretur, argutiores poetas contempsit: reliqui vero, nescio quo malo genio instigante, ita Catullo, aut Propertio addicti sunt, ut Martialis scripta vix unquam attigisse videantur.* Ipsius autem Fracastorii Elegos qui legerit, tantam in eis Catullianae simplicitatis imitationem deprehendet, ut dubitare nullo modo possit, quin eundem illum colorem etiam in epigrammate, si ad id se contulisset, fuerit servaturus. Idem prorsus et de Marco Hieronymo Vida dici potest, cujus tria, quatuorve epigrammata, et carmen ad Caelites Puellas satis declarant, quam futurus Catullo fuisset similis, si leviorem istam poesim persequi voluisset.

Sed quando facta est Vulpii mentio, quid tibi, obsecro, videtur de ejus majorum, qui XVI. saeculo floruerunt, carminibus? Mihi vero et tersa et dulcia videntur, sed etiam a Martialis similitudine valde aliena, praesertim Hieronymi. Non desunt tamen, praeter illos, quos nominavi, qui multo Martiali fuerint dissimiliores. Quid enim ab hujus perversa voluntate alienius esse potest, quam Casae, quam Castilionis epigrammata? qui nativus in istis nitor! quae suavitas! quam sincerus splendor! quanta simplicitas! Baptista quidem Guarinius in Hetruscis clarior poeta, quam in Latinis fuit; sed tamen quae Latina reliquit epigrammata, utrum falsis ne

finibus concluduntur, an aureae aetatis candorem aemulantur? Ne in Hieronymo quidem Amalthaeo ullum argutiarum studium deprehenditur; quin immo non longe abest a Catullo, ad quem tamen propius videtur Baptista ejus frater accessisse: imagines quidem certe festivas quasdam, ac veluti hilarulas inserit, quales saepissime Catullus.

Herculis quoque, et Titi Strotiorum, Francisci Mariae Molsae, qui stilo Tibullianus habebatur, Joannis Matthaei Toscani, Achillis Bocchii, et Coelii Calcagnini carmina Martialino colore minime sunt imbuta. Hunc etiam postremum Catulli imitatorem ab Hercule Strotio esse habitum, vel illi ad eum versiculi testantur:

Coeli, qui numeros Catullianos
Calles tam bene, quam Catullus, istum
Qualemcumque, precor, fuges timorem.

Nemo mihi tamen, praeter unum Flaminium, tam belle videtur Catullum expressisse, quam Horatius Fascitellus, ut jure, ac merito hujus carmina *Catulli elegantiis affluentia* dixerit Vulpius (*Praef. in Poem. Sannaz.*).

VI. Legi etiam latina Ludovici Areosti poemata. Hic vero, ut erat mirifico, ac prorsus divino ingenio, non unum aliquem veterum poetarum in latino Carmine effingendum suscepit; sed comparata sibi ex optimorum lectione poeticae dictionis copia, quod ad caetera attinet, suae ipse indulsit voluntati. Itaque deprehendere licet in ejus Elegiis majorem quandam amoenitatem, atque ubertatem, a qua omnium fere imitatorum scripta longe abesse solent. Nec tamen ita sui similis perpetuo fluit, ut non interdum Catullum, modo Tibullum, saepius autem Ovidium audire tibi videaris. Ita peritissimus

artifex etiam alienis penicillis, si usus veniat, pingere praeclare potest; fere tamen satis utitur.

In epigrammate quoque varius est: modo enim candore illo, eaque simplicitate gaudet, quae ad Catullianum characterem accedat, modo ingeniosior est, et argutior, modo autem medium quoddam genus, et inter Catulli ac Martialis amoenitatem quasi interjectum consectatur. Catulliana sunt illa ad Cherintum de Glycere, et Lycoride, de Q. Valerii uxore, de Trivultia, de catella suae puellae, aliaque nonnulla. Martialem sapiunt illa de Callimacho, de puella rosas vendente, de Bardo poeta. Illa vero de Eulalia, in duos Loquaces, de Puero formoso etc., ad medium illud genus sunt revocanda.

Utinam tamen Hispanum tuum ita omnes imitarentur! in nullam profecto incurrerent reprehensionem. Non enim, ut saepe dicemus, omnes argutias ex epigrammate sublatas volumus, sed tantum falsas, exquisitas, illiberales. Areostus autem ita interdum Martialino charactere epigrammata scripsit, ut Martialis tamen vitia non admiscuerit.

VII. Ad Scaligeros fortasse, atque ad Casanovas confugies. Ad Caesarem Scaligerum quod attinet, communis doctorum opinio est, et praecepisse et judicasse etiam aliquando eum melius, quam scripsisse. Quos tamen ejus legi ad Atticum, ad Burdegalam, ad Sylvium filium, ad Sevinum Hendecasyllabos, ii mihi profecto a Catulliana voluntate non longe abhorrere visi sunt. Porro non me fugit, ita eum in sua poetica de Martiale judicasse (L. III. c. CXXVI.): *Epigrammatis virtutes peculiares, brevitas et argutia: hanc Catullus non semper est assequutus. Martialis, poeta argutissimus, nusquam omisit.*

Et libro VI. c. VI: *Ne Martialem quidem transferre libet ad meliora. Multa sunt ejus epigrammata divina, in quibus et sermonis castitas, et argumenti species luculenta est. Versus vero candidi, numerosi, pleni, denique optimi. Alia foeda ne legerim quidem, tantum abest, ut ad censuram vocem.* Quo quidem in judicio quid tandem est, nam ex te ipso audeo quaerere, quod a nostra, et Tiraboschii sententia discrepet? *Martialis*, inquit, *nusquam argutiam omisit*; num idcirco dicit, ubique urbanum fuisse? *Multa sunt ejus epigrammata divina*, non igitur omnia. Sed quae dicit *divina*? nempe ea, *in quibus et sermonis castitas, et argumenti species luculenta est.* Sine his autem urbanitas esse non potest. Quare si minus in omnibus *sermonis castitas, et argumenti luculenta species* reperitur, ergo non ubique urbanus fuit, quamvis nusquam argutiam omiserit. Argutia enim, si argumenti species luculenta non sit, ne ipsa quidem urbana esse potest. Quae sequuntur, *alia foeda ne legerim quidem etc.*, praetermitto.

De Casanova, urget me Paulli Jovii testimonium, quod in hac quidem re nequaquam contemptum iri a te scio; sic enim ille scribit (in Elog. Viror. literis illustrium): *M. A. Casanovae arguti epigrammatis palmam retulit illa ipsa Roma, severae auris judicio superba, quod lepida, et falsis finibus aculeata carmina factitaret. Elocutioni casta tamen puritas, ac in numero saepe duro lenitas defuit, qualis in Catullo praetenero poeta conspicitur: quum ingeniose mordaci, et impuro Martiali persimilis esse mallet, ut una praesertim peracutae, circumductaeque sententiae gloria duceretur.* Duo tamen cogites velim, primum, Casanovam ineunte dumtaxat XVI. saeculo

floruisse, quum scilicet optima illa voluntas, atque elegantia nondum ita altas radices egisset, nec esset tam late propagata. Deinde, quum aetates efferant singulae singula prope genera scribendi, non continuo, si qua aetate unus, aut alter aberrat, sequi, ut ea aetate non hoc, vel illud genus potissimum viguisse dicendum sit. Itaque etiam, si acrius attendes, intelliges, id ipsum, quod Casanova Martiali esse similis vellet, ita ab Jovio pluribus verbis narrari, quasi rem aliquam notatu dignam, ac nimirum inusitatam. Caeterum ne si convincere quidem posses, ipsum Sannazarium, qui propterea quod longiorem orationem desiderabat, huc est a me data opera rejectus, falsas Martialis argutias diligenter sequutum esse, idcirco recte concluderes, hanc fuisse illius aetatis voluntatem, quum modo ostenderim, optimos quosque poetas ab ea generatim abhorruisse. Sed vereor, ut convincere non possis.

Nec vero ego sum ille impudens, qui negem, eo ingenio Sannazarium fuisse, ut falsa et acuta in epigrammate potissimum amaret; sed idem existimo, duas esse caussas, quamobrem cum Martiale nec debeat, nec possit comparari; primum, quod alio dictionis genere utatur, quale scilicet in aureae aetatis auctoribus deprehenditur; deinde quod in argutia urbanitatem fere semper retineat, certe quam rarissimo in affectationem incurrat. Itaque merito in ejus vita scribit Vulpius, *enm carminis dignitate, latinique sermonis elegantia Joviano Pontano,* qui XV. saeculo floruit, *praestitisse;* et alio loco, *amicis,* inquit, *qui ad eum ventitabant, semper novum aliquod epigramma, salis atque urbanitatis plenum, aut elegiam recitare solitus erat, quae nitore atque*

elegantia cum antiquorum scriptis certare posset. Nec profecto ei Criticus pepercisset, si acuminis etiam falsi studiosiorem comperisset, quum ejus generis amatores, Catullique contemptores summe, ut supra vidimus, odio haberet. Sed praestat ex ipsis ejus epigrammatis judicium facere. De illis loquor, quae caeteris poematibus adjuncta e Cominii officina exierunt; nam ea, quae in Leonem X. scripsit, et in quibus indignatio ac bilis dominantur, ne vidi quidem.

VIII. In primo igitur Libro sunt epigrammata quinque supra sexaginta. Primo ad Federicum Regem, qui ei rus donaverat, quid fingi potest, ut in satyrico genere, lenius, urbaniusve? *Fecisti,* inquit, *Vatem, nunc facis Agricolam.* Non mehercule pluris facio dictum illud Virgilii, quum Augusto respondit, eum sibi pistoris filium videri (1). Tertium, quod *Calendae Maji* inscribitur, quum lego, Tibullum mihi legere videor :

Majus adest; da serta, puer; sic sancta vetustas
Instituit; prisci sic docuere patres,

et in fine:

Heu vanum mortale genus, quid gaudia differs?
Falle diem: mediis mors venit atra jocis.

Haec tam similia sunt Tibullianis, quam ovo ovum. Sed non minus simile Catullianis VI illud ad Ninam suam:

Sexcentas, Nina, da, precor, roganti,
Sed tantum mihi, basiationes.

Nihilo dulciora Veronensis ille nec Lesbiae suae, nec Hypsithillae mittebat. Decimum quoque in tumulum Laurae mel merum est:

(1) Hoc tamen Virgilii dictum inter fabulas numerat Carolus Ruaeus in ejus Poetae historia per consules digesta.

Sed quamvis homines tangant tua fata, Deosque:
Nulli flebilior, quam mihi, vita, jaces.

Duodecimum ad F. Regem praeclara sententia clauditur. Quartum decimum in Caesarem Borgiam festivissimum habet finem. Sed decimum quintum in eundem multo est lepidius, in quo et Catulliana, et alicubi Virgiliana deprehenditur imitatio. Proximum in Gemmam suam eruditum, ac bellum est. Decimum septimum tamen de Venere et Marte, urbanitate praestat. Quid dicam de vigesimo in Poggium.

Dum patriam laudat, damnat dum Poggius hostem;
Nec malus est civis, nec bonus historicus.

Quid hoc potuit acutius? quid autem simplicius? Vigesimo tertio, quod est de caussa, eur mane alta, vesperi declivia petant homines, lepidissimum commentum continetur.

At in vigesimo quinto in Quintium non negaverim, falso inniti argutiam illam:

Clara tibi videor scripsisse epigrammata, Quinti.
Sunt, fateor: medio scripsimus illa die.

Si enim pro *clara* ponas *perspicua*, vel *nobilia* statim intelligas, nihil huc pertinere *meridiem*. Et sane jocus est frigidior, hactenus tamen ferendus. Quod si Auctor e falso proposito falsum consequens collegisset, atque ita falsa falsis addidisset, tum vero ad Martialis similitudinem propius accessisset. Omnino enim id est Hispano tuo solemne, ut ex propositis non rationis judicio, sed φαντασίας ludibrio dumtaxat verisimilibus sententias admirabiles quasdam eliciat; quumque imaginem aliquam, vel translationem φαντασία conceperit, eas potestates, eosque effectus translatae rei tribuat, quae ad rem illam,

unde Translatio ducta est, proprie pertinent. Hinc (ut aliquid dicam in exemplum) quum Sabinaeum quendam rhetorem ineptum hominem cognovisset, simulque cogitasset, tales homines dici translate solere *frigidos*, eo φαντασίας fervore processit, ut translato vocabulo rei propriae vim tribuens idoneum illum esse dixerit, qui vel Neronianas calidissimas thermas *refrigeraret* (*L. III. Epigr. XXV.*).

Sed absurdius etiam est, quod scripsit in Tuccam, qui vetulo Falerno Vaticana pessimae notae vina miscebat. Nam quum haec vina *toxica* translate appellasset;

Et dare Campano toxica saeva mero;

ita clausit:

Convivae meruere tui fortasse perire;

Amphora non meruit tam pretiosa mori.

Primum igitur perinde conclusit, quasi de vero toxico loquutus esset, deinde non convivas modo, sed etiam vinum, vel potius *Amphoram* morti obnoxiam fecit (*L. I. Epigr. XIX.*). Ut autem clarissimi viri, Ludovici Muratorii, verbis utar (*de Perf. Poesi*, *L. II. p. CCCXLVII.*) : » Si mentis animadversiones, atque imagines falsas » contineant, id est, si rationes illae, quae ab ingenio » excogitantur, fallaces sint, minimeque in se verae, nec » verisimiles; quaenam esse poterit sani intellectus ad- » miratio, ac voluptas? qua tandem ille delectatione » fruetur, si quidem videt, novi nihil esse quod discat? » Immo vero quo dolore non affici oportet hanc animi » facultatem, quum ab eo se deceptam, et ludibrio ha- » bitam animadvertat, a quo veri et praeclari aliquid » exspectabat? "

Itaque satis facete idem auctor ingeniosa ejusmodi

sophismata vitris illis, aut crystallis comparat, quae vulgo Berylli vocantur, quae adamantium, carbunculorum, et smaragdorum speciem imitantur, eorum autem virtute plane carent. Quo loco profecto non praetermittit, quin aperte dicat, Martialem prae caeteris omnibus, qui ante se fuerant, adulterinae huic monetae pretium conciliasse. » Nec vero, inquit, mirum videri debet, quod » ejusmodi merx in magna esset apud multos auctorita» te; tales enim imagines summum modo corticem in» tuentibus pulchrae videri solent, quum et notam veri» tatis prae se ferant, et eos qui ad nucleum ipsum pe» netrare nesciunt in admirationem facile rapiant ".

IX. Sed ad Sannazarium redeamus. In XXVI. de Mercurio et Amore, quod est ejusmodi:

Dum comes aligero Cyllenius iret Amori
Aliger, incauto subripuit faculas.
Deprenso tum fure, manum referebat ad arcum;
Sed non inventa risit Amor pharetra,

nescio quid Atticae venustatis mihi videor deprendere; et quidem in hoc genere fuit Catullus. Jam quid salsius vigesimo octavo, ubi Juno, quum Venerem Adonidis nece perculsam vidisset, dixisse fingitur:

Quid gemit haec? nullo Mars meus ictus apro est.

Sequentia quoque bella sunt. Trigesimum vero quartum in tumulum Maximillae,

Quacum frigiduli jacent Amores,
Et lusus, Veneresque, Gratiaeque,

inter Catulli suavissima locum habere posset. Proxime sequentis de urbe Venetiis judicium e praemio, quod a Venetis auctor retulit, facere licet. XXXVIII. ad Venerem:

Quid mihi te facilem blandis promittis ocellis,
Si miserum sic post uris, acerba Venus?

Tibullum sapit. In proximo de Galla:

Omnes, quos scripsi, versus vult Galla videre:
Mittam ego, pro libris si mihi labra dabit,

quaesita nimirum est illa agnominatio, *pro libris labra*, bella tamen est, atque amatoria. Nunquam talia lego, quin urbanissimi illius joci recorder, qui est in Rudente Plautina (*Act. v. Sc. II.*):

Lab. *Ut vales?* Gr. *Quid tu? num medicus, quaeso, es?*
Lab. *Immo aedepol una litera plus sum, quam medicus.*
Gr. *Tum tu*
Mendicus es? Lab. *Tetigisti acu.* Gr. *Videtur digna forma.*

Ex quo quidem aliquis Martialinae imitationis studiosus quantivis pretii epigramma conficere posset in hanc sententiam, valde fugiendum esse medici officium, quod non plus una litera a mendico distet. En tibi statim ex agnominatione non insulsa insulsissimam ratiocinationem. Caeterum huc pertinent illa Caesaris apud Tullium in secundo de Oratore, C. LXIII. *Alterum* (ambigui) *genus est, quod habet parvam verbi immutationem, quod in litera positum, Graeci vocant παρονομασίαν, ut nobiliorem mobiliorem Cato etc.*

In XL. de Vetustino perpetua festivitas inest; quare Catullianis quibusdam dici potest simile, quorum omnis lepos sola narratione continetur. XLI. in Neaerae tumulum,

Quae voces? Charitum. Quae circum pompa? Neaerae.
Unde odor hic? cineri thura ministrat Amor.

habet nescio quid ab Ausonio. Similiter ille certe in Occasionis et Poenitentiae simulacrum lusit:

Cujus opus? Phidiae. Qui? signum Pallados, ejus,
Quique Jovem fecit, tertia palma ego sum.

Et in Diogenem Cynicum, in cujus sepulcro pro titulo canis signum est:

Dic, canis: hic cujus tumulus? canis. At canis hic quis?
Diogenes. Obiit? Non obiit, sed abit.

Proximum de Hybla:

Hybla mei quondam dulcissima cura Marulli,
Hybla suburbano nuper humata solo.

multo venustissimum est, et in quo Propertii, Tibullique studium facile possis agnoscere. Sequitur XLIII., ubi Anfidius chirurgo altius sibi caput exquirenti, detegendi cerebri gratia, conquerens dixit:

.... *quid me, chirurge, fatigas?*
Quum subii rixam non habui cerebrum.

Quod quidem quis neget, Martialina forma percussum esse? *Cerebrum* enim altero loco sensu proprio dicitur, altero translato, pro eo, quod Latini alia opinione ducti dixissent *cor*. Falsa igitur est argutia, sed bene, quod nullum inde aliud sophisma, ut superius notavimus, eruatur. Sequentia bona sunt, et praesertim XLV. in Lydam, XLVI. in Ollum, et L. de Jucundo architecto,

Jucundus geminos fecit tibi, Sequana, pontes:
Jure tuum potes hunc dicere pontificem.

quorum omnium ejusmodi sunt argutiae, ut non a poeta studio arcessitae esse, sed sponte se illi obtulisse videantur. Porro ad postremum hoc trahi possunt illa apud Ciceronem in Oratore L. II. C. LXIII: *Etiam interpretatio nominis habet acumen, quum ad ridiculum convertas, quamobrem ita quis vocetur*; id enim duobus modis fit, et eo, quem ibi Cicero explicat, et hoc, quo utitur

Sannazarius, qui ad ridiculum convertit, quamobrem Jucundus vocari pontifex possit.

LI. De Aenea et Didone, quod ad illud Ovidii e Didonis persona loquentis refertur:

Praebuit Aeneas et caussam mortis, et ensem,

gravissimum est. Quamquam vere scripsit Virgilius:

.... *ensemque recludit*

Dardanium, non hos quaesitum munus in usus.

Quare minime accusandus est Aeneas, quod ensem Didoni dederit, quum mali nihil suspicaretur. Nec vero invidiosum Ovidii dictum placeret, *praebuit et ensem*, nisi ab ipsa regina in desperationem jam acta dici fingeretur. Quinquagesimo tertio in Caesarem Borgiam nihil acrius, eodem nihil festivius legi. LVI., quod *Dies Genialis* inscribitur,

Aureli, perfunde meis unguenta capillis,
Tu super et vernas sparge, Nearche, rosas,

et LVII. ad Amicam, venusta admodum sunt. LVIII. ad Bassum de Phyllide persalsum est, quum praesertim res non satis honesta urbanissimis verbis narretur. LIX. ad Vesbiam.

Aspice, quam variis distringar, Vesbia, curis.
Uror, et heu nostro manat ab igne liquor.
Sum Nilus, sumque Aetna simul: restinguite flammam
O lacrimae, lacrimas ebibe, flamma, meas;

habet, ut verum fatear, paullo affectatius contrapositum, praesertim in illis *sum Nilus, sumque Aetna simul.* Quo in genere insigne est, quod super Magdalenae amore affert e Thesauro Muratorius (*de perf. Poesi L. II. p. CCCLVI.*) *Quid hoc prodigii? Aqua et flamma discordes olim rivales, socordes modo contubernales in Magdalenae*

oculis convivunt? ... et: *Audieram Aetneo in monte impunita cum nivibus incendia colludere: fidem astruit fabuloso monti Magdalenae oculus.* Quis sanus haec audiens, risum tenere potest?

X. LX. ad Aeglen:

Si tibi sum Phoebus, si sum tibi Jupiter, Aegle:
Cur tu non Daphne sis mihi, non Danaë?

bello, ut vides, atque erudito acumine finitur. Tale est illud Antonii in Sextum Titium, quod ita narratur a Marco Tullio (de Oratore L. II. C. LXVI.): *Trahitur etiam aliquid ex historia, ut, quum S. Titius, se Cassandram esse diceret, Multos, inquit, Antonius, possum tuos Ajaces Oileos nominare.* LXI et LXII. in Pulicianum et acria sunt, et aureo saeculo dignissima; praecipue vero LXI., ubi hominem satis libere exagitat, quod diceret,

Divinum sibi passerem Catulli
Haudquaquam bene passerem sonare;
Nec jam id esse, quod autument legentes,
Sed quod versiculis parum pudicis
Ludens innuat ipse Martialis.

qui locus quum mihi memoriam afferat illius Martialis ad Maximum epigrammatis (*l. I. Epigr. VIII.*), quo Aruntium Stellam in caelum tollit, nequeo mihi temperare, quin dicam ea, quae sentio;

Stellae (inquit) *delicium mei columba,*
Verona licet audiente dicam,
Vicit, Maxime, passerem Catulli.
Tanto Stella meus tuo Catullo,
Quanto passere major est columba.

Nimirum ut Catullus Lesbiae *passerem*, sic Stella Hiantidis

columbam celebraverat. Prioribus igitur versiculis ait Valerius, Stellae poema de columba, Catulli poemati de passere praestare. Sed a poematibus ita inscriptis transit continuo ad ipsas aves, et ex eo captat argutiam, quod columba revera superet passerem magnitudine; itaque concludit, tantum interesse inter Stellae, Catullique praestantiam, quantum inter magnitudinem columbae, et passeris intercedit. Quisquam hoc loco potest non stomachari? quid enim ineptius, quam ex diversis volucrum molibus diversa poetarum, qui de illis cecinerint, ingenia metiri? et quod melius columbam quis laudavit, quam alter passerem (sit enim ita) idcirco dicere, illum tanto meliorem esse hoc, quanto columba ipsa major est passere? Nam quod Menalca dicit apud Virgilium (*Ecl. v.*):

Lenta salix quantum pallenti cedit olivae,
Puniceis humilis quantum saliunca rosetis;
Judicio nostro tantum tibi cedit Amyntas:

id admodum conveniens est, ac pastoris personae accommodatum. Nec vero in plantarum dispari proceritate ludit, dicitve, tanto majorem Mopso esse Amyntam, quanto major est oliva salice, aut roseta saliunca; sed ad cujusque plantae pretium, atque honorem venustissime comparationem refert. Quanto enim, inquit, ignobilior est salix oliva, quanto saliunca rosetis, tanto te ignobilior poeta est Amyntas. Ut ergo hunc locum omnes admirantur, ita Martialinum illum in primis Xaverius Quadrius exsibilat (*de Hist. et Rat. Poes. Vol. II. L. I. C. x.*), qui quidem etiam judicii in Catullum arguit iniquitatem. Quid tu? an putas, Tityrum illum Virgilianum, qui de Urbe Roma dixit (*Ecl. I.*):

Verum haec tantum alias inter caput extulit urbes,
Quantum lenta solent inter viburna cupressi;

eundem de eximio aliquo poeta dicturum fuisse, eum tanto majorem esse caeteris, quanto viburnis majores sunt cupressi? Verum haec hactenus.

Reliqua, quae hic sequuntur, Sannazarii epigrammata sunt citra vitium ingeniosa, sexagesimum quidem quartum in Orpheum:

Hoc fuit, infelix, et adhuc heu respicis, Orpheu,
Quod te, quod miseram perdidit Eurydicen,

Catulliana excellit suavitate. In primo igitur Libro tria tantum epigrammata, XXIV., XLIII., et LIX., invenimus, in quibus vitii aliquid inesse judicaremus. Nunc alterum percurramus.

XI. Atque hic et secundum epigramma de Aquivivo egregia sententia clauditur et sequentia intra veniam arguta sunt. Decimum vero, in quo Diana in silvis venans Cythereae irridenti respondet:

.........feris cur non ego retia tendam;
Tendere si potuit vir tuus illa tibi?,

in summa simplicitate acutissimum est. Imitatur autem Ausoniana. XII., ut ex Priapi persona, valde bellum videtur. Haud frigidum habet jocum XIV:

Non largitur opes, et vult epigrammata Flaccus.
Jure suo haec poscit, vult sibi verba dari;

conclusio enim ex ambiguo intelligitur, nam et qui nihil dat, praeter carmina, verba dat, et verba dat etiam qui decipit. Geminum est illud Ovidii de suis erga amicam officiis:

Quum dare non possem munera, verba dabam.

XV. de Peto miserabile est, et Catullianis affluit deliciis.

Nec dissimilis coloris XVIII. in tumulum pueri. Quae proxime occurrunt, feliciter ingeniosa sunt, in primisque XXII. Sequens in Riccium:

Aegrotat sedis vitio, et male Riccius audit.
Quid, si esset surdis Riccius auriculis?

ita explicari potest, quasi Riccius, qui adversam famam ob sedis morbum non magni faceret, fuerit etiam, si surdas aures habuisset, ac tales rumores non audisset, multo licentius peccaturus. Ita nec frigidum est acumen, et verum (1). XXVI facetissime finitur. At vigesimi septimi conclusionem non possum equidem ab omni vanitatis reprehensione defendere:

Scilicet ut misero possim superesse dolori;
Sic lacrimis flammas temperat acer Amor.

Lacrimas enim veras dicit, flammas imaginarias. Denique fac sic: *non exuror, sed vivo, quia Cupido amorem lacrimis temperat*; deprehendes, veritatem argumento deesse. Caeterum in duobus his versibus Tibulliana dictio est pura puta. Sed mirifica sunt Sannazarii epigrammata, quaecumque Venerem pungunt; cujusmodi est XXIX.

Trigesimum in Catonis tumulum:

Hic, ubi libertas, magni et jacet umbra Catonis;
Quam melius poterant Caesaris ossa tegi!

(1) Alia tamen relegenti mihi explicatio occurrit, atque haud scio, an verior; illud *male audit* ambigue esse positum, ut sit vel *fama laborat* vel auditu. Videtur autem poeta hanc rationem habere: Riccius, quum sedis vitio aegrotet, auditu laborat; quid ergo eo fieret si etiam obtusis auribus uteretur? Sed revera *male audit* refert ad opinionem, quae de ipso erat non bona ob talem morbum.

tantam habet gravitatem, ut ipse Cato, si legeret, ab suorum familiarium aliquo conscriptum putaret. At idem, si videret Martialis epigramma de Festo, qui et ipse vitam Romana morte peregerat, miraretur profecto, aliquid Romae tam inepte de se scriptum esse; quid enim ineptius illa conclusione?

Hanc mortem fatis magni praeferre Catonis
Fama potest: hujus Caesar amicus erat.

Num ergo misera fuit Catonis mors, num minus illustris, quod Caesarem ille haberet adversarium? Non ne contra isto ipso nomine fuit apud suos nobilior et generosior? quippe hoc enim Catonem mirabantur, et celebrabant, quod ferrum in pectus demittendo, vitae usuram, quam fasces Caesari submittendo, libertatem amittere maluerit (1). Nullo igitur modo concludi potest, Festi mortem Catonianae praeferendam esse ob eam

(1) M. Tullius lib. I. de officiis C. XXXI. ubi de decoro et naturarum differentia disserit, ostendit, Catoni quum incredibilem tribuisset natura gravitatem eamque ipse perpetua constantia roboravisset, semperque in proposito susceptoque consilio permansisset, moriendum potius, quam Tyranni vultum aspiciendum fuisse. Quod, inquit, caeteris qui in eadem caussa erant, minime fuit faciendum, quod eorum vita lenior et mores fuerant faciliores. Ita scilicet decorum in aequabilitate universae vitae tum singularum actionum est positum. Quae omnia si ex ethnica philosophia spectes ut spectari certe debent, illico intelligas, extremum Catonis factum praeclare cum tota anteacta vita consensisse, et ob id ipsum laudi esse illi datum. Legendus plane Metastasii, caelestis poetae, Cato, praesertim ab Scena XI. Actus III. ubi verus tanti viri sensus aptissimis sententiis explicatur. Sed vide etiam Aug. L. V. de Civ. Dei C. XXIII. et L. XIX. C. IV.

caussam, quod ille Caesari carus sit mortuus; quum ad Catonis personam Caesaris inimicitiae nullam habuerint infelicitatem; atque adeo ipse mori idcirco voluerit, ne in Reipublicae perniciem amicus Caesari fieret.

Caeterum in mentem mihi venit hoc loco tui poetae levitatem admirari, qui quum Festum laudasset, quod morbi jam impatiens, ipse sibi vim attulisset, idem Fannium quemdam furiosum dixerit, quod ne in hostium manus incideret, eodem consilio usus esset:

Hostem quum fugeret, se Fannius ipse peremit.
Hic, rogo, non furor est, ne moriare, mori?

Atqui si non fuit Festus reprehendendus, etiam laudandus fuit Fannius. Ille enim morbum, hic injuriam pati noluit; ille naturae necessitatem non exspectavit, hic alienam vim a se arcuit; ille acerbam dumtaxat, hic et acerbam et ignominiosam mortem refugit. Itaque praeclare divinus homo Muratorius, qui ejusmodi sententiae falsitatem his verbis demonstravit: » Dubium non est profecto, quin ille furiosus ac demens primo aspectu videatur, qui se, ne interficiatur, interficiat. Verum haec ratio specie tantum erat apud Ethnicos vera; neque enim furiosi est voluisse cita morte defungi, ne crudelissima et turpi ab hoste afficeretur, atque ut plurima tormenta evaderet, quae ante ipsam fortasse mortem ab eo sibi impendebant; aut ne in duram servitutem, quam vel morte amariorem putaret, incideret; neve hosti ex sua captivitate voluptatem praeberet. Ex quo patet, caussam, quamobrem poeta furoris Fannium arguebat, veram non esse". Quamquam haec Martialem ne vivum quidem, ac praesentem moverent, qui ut bellum dictum illud, *ne moriare mori*, omitteret, nunquam

Tagi divitias mereri vellet. Pergam igitur ad XXXIII. Actii nostri epigramma.

XII. *Dum nectit flavos auro Thelesina capillos,*
Contraxit radios Phoebus, et erubuit.
Mox haec ad Superos: en auro jungitur aurum:
Hoc est mortales, hoc superare Deos.

In quo audacior fortasse alicui videatur ὑπερβολὴ in illis: *Contraxit radios Phoebus, et erubuit.* Nec sane aureae aetatis poetae rem tam aperte extulissent, sed modestius loquuti essent. Quo in genere merito celebratur illud Q. Catuli de Roscio:

Constiteram, exorientem Auroram forte salutans,
Quum subito a laeva Roscius exoritur.
Pace mihi liceat, Caelestes, dicere vestra:
Mortalis visus pulchrior esse Deo.

Ubi et *liceat dicere pace vestra*, et *visus* interponuntur ad leniendam superlationem. Hic tamen Sannazarii locus pulcherrimus est, si cum quibusdam Martialis conferatur, in quibus homo suavis ultra modum ὑπερβολὴν prolapsus est, judice etiam Sfortia Pallavicino, luculento auctore in Libro de Stilo, (*C. XVIII*). Hoc vitio certe laborant illa ad Domitianum:

Jam, Caesar, vel nocte veni: stent astra licebit:
Non deerit populo, te veniente, dies.

quid haec ad eundem (*L. IX. Epigr. IV.*)?

Quantum jam superis, Caesar, caeloque dedisti,
Si repetas, et si creditor esse velis;
Grandis in aethereo licet auctio fiat Olympo,
Coganturque Dei vendere quidquid habent,
Conturbabit Atlas, et non erit uncia tota,
Decidat tecum qua pater ipse Deum.

Denique huc evadit:

Exspectes, et sustineas, Auguste, necesse est;
Nam tibi quod solvat, non habet arca Jovis.

Et illa, quibus Domitiani leones lepori parcentes, Jovis aquilae Ganymedem rapienti anteponuntur, hac quidem clausula (*L. I. Epigr. VII.*):

Quae majora putas miracula? summus utrique
Auctor adest; haec sunt Caesaris, illa Jovis.

Itemque ineptum illud, ubi leonis in lepore non laedendo clementia inde ducitur, quod Domitiani sit:

Unde potest avidus captae leo parcere praedae?
Sed tamen esse tuus dicitur: ergo potest.

Etiam epigramma de Pompeji Magni, ejusque filiorum caede, cujus finis:

Quid mirum toto si spargitur orbe? jacere
Uno non poterat tanta ruina loco,

ab optimo critico Salvinio censoria virgula notatur. Sed revocat me Thelesina, quae quum exclamaret: *en auro jungitur aurum*, confundit profecto aurum verum, quo comas nectebat, cum auro translate dicto, hoc est, cum ipsarum comarum nitore; atque ideo false conclusit:

Hoc est mortales, hoc superare Deos.

Nisi quod cum tam bella puella durius mihi agendum non puto. Extra jocum, epigramma est perelegans, non tamen sine vitio.

Quae deinde sequuntur, et praesertim XXXIX. in tumulum Cottae, Poetae Catulliani, judicis arguti acumen non reformidant. XLI. de Ferdinando Juniore est hujusmodi:

Si merita audieris Ferrandi, Nestora credas;
Si numeres annos, dixeris Antilochum.

Pari modo Martialis quum strenuum juvenem nuper demortuum laudare vellet, dixit, idcirco ei Laohesin non pepercisse, quod palmas e ludis Circensibus ab eo relatas recensens, senem esse crediderit:

Dum numerat palmas, credidit esse senem.

Quam imaginem quum *pulchram* appellasset Muratorius, Salvinius notam ad eum locum apposuit in hanc sententiam: » mihi non placet quod pulchram eam dicit; prae» terquamquod enim mihi frigida videtur, falso etiam » nititur; quasi mors non aeque senes et juvenes ra» piat, immo istos fortasse saepius, quam illos, quum ad » senectutem pauci perveniant " (*de perf. Poesi*). Difficile est de contrariis duorum peritissimorum hominum judiciis judicare. Itaque hoc tantum habeo dicere, Martialis imaginem disputationi locum relinquere, Sannazarii non item, quum ad Parcam non referatur, sed simpliciter enuntietur.

Quadragesimum tertium, quo ploratur Filius unicus, perdulce est, atque adeo venusta clausula:

I nunc, vel Nioben confer mihi, cujus habet sors
Hoc melius, fieri saxea quod potuit,

ubi acumen videtur sponte se obtulisse, et ideo placet, quum a dolentis persona non abhorreat. XLV. urbanissimo sale Jovem defricat. Illud in Assanii tumulum perquam illustres habet sententias, et dulcissime scriptum est. Quinquagesimi tertii argumentum est: Eridanus excepit olim fumantem Phaetonta. Id a poeta pro triumpho ponitur, quem Eridanus de sole tulerit. Ecce autem, inquit, o Ticine, novum tibi de eodem numine trophaeum parat Camilla Scalampa Mediolanensis; qui tandem? auratis comis.

Nam Deus ille tuis ausus concurrere ripis,
Majoris numen sensit adesse Deae.

Hoc significat, Camillam Phoebum quendam esse Phoebo ipso pulchriorem, mox claudit;

O fatum fluviorum! ergo nova fabula vestris
Semper erunt nymphis aut pater, aut Phaëton.

Quis igitur non videt, ὑπερβολὴν esse, quae modum excedat? Verum sequens de Violante Graspina, quo dialogus Veneris et Amoris continetur, instar est urbanorum centum. In quo sane quam scite puer ille inducitur *calidam nivem* appellans Violantis pectus, bello quodam φαντασίας errore. Quod quum Venus miraretur, eum inde violas abstulisse: *de nive tu calida violas?* urbanissime errorem suum detegit: *perstrinxit ocellos Candor: et ecce, nivem quod puto, pectus erat.* Atqui ex hac *calida nive* multas frigidas argutias vitiosi generis amatores elicere potuissent; quod hic noster non fecit.

LV. habet colorem Propertianum; postremos quidem duos versus ab Sexto ipso esse putes:

Arsimus, et primos miseri deflevimus ignes;
Hoc satis: extremo turpe in amore mori.

Etiam reliqua sunt optimae notae. Itaque vides, ne in secundo quidem Libro plura inveniri, quae reprehendi possint, quam tria, XXVII., XXXIII., et LIII.

XIII. In Libro tertio septem sunt omnino. Primum ad Garloniam Catullianas veneres prae se fert. Alterum ad Cassandram:

Quarta Charis, decima es mihi Pieris, altera Cypris,
Cassandra una choris addita Diva tribus,

peringeniosum videtur. Eadem forma in secundo de Oratore dicit Marcus Antonius, se, quum cliens discessit,

tres personas unum sustinere, suam, adversarii, judicis. Tertium erudito sale in primis delectat. Caetera quoque bella sunt, sed quintum plane excellit. Eunus quidam Cumaeum ac Delphicum oraculum de sua sorte consuluerat; quumque responsum accepisset, fore, ut supra duces ac reges exstaret, eaque re sustulisset animos, ipse aliquando in crucem sublatus est; cui poeta:

.... non te Deus, Eune, fefellit:
Omnia sunt crepidis inferiora tuis.

Minus autem rideretur, si cruci affixum sponte jocatus sic esset, quaesita enim argutia videretur; sed quoniam agitur de oraculi interpretatione, quod semper est ambiguum, nihil salsius, nec magis concinnum esse potest.

His igitur totis tribus Libris, quum epigrammata sex, et triginta supra centum contineantur, sex modo sunt, quae reliquorum, non tamen Martialis, comparationem metuere videantur. Quod quum ita sit, quumque cujuslibet auctoris voluntas e maxima scriptorum parte aestimari debeat, quis jure dixerit, Sannazarium esse in illo fallacium cavillationum, argutiarumque genere, hoc est, in Martialis genere versatum? Ac vides profecto, me longius fortasse, quam par erat, digressum, omnes tibi poetas, qui quidem superiori aetate in Italia nomen habuerint, accurate recensuisse. Itaque redeo ad illud, quod antea dixi. Aut de obscuris poetis loqueris, aut de illustribus. Si de obscuris, nihil curo · sin autem de illustribus, quorum demum e scriptis saeculi voluntas aestimatur, abunde tibi responsum arbitror, ut eos jam non possis Bilbilitani *imitatores* appellare.

Et sane quo argumento appelles? an quod voculas quasdam, vel joci gratia, vel etiam necessitate compulsi,

quum et eae maxime quadrarent, nec alius quisquam esset idoneus auctor, ab eo utique sumpserint, dictionesque etiam integras aliquando excerpserint? An vero ob id ipsum, quod epigrammata fecerint cum aliquo aculeo faceta, qualia Hispanus scriptitabat; quodque interdum hunc, vel illum ejus locum visi sint prae oculis habuisse? Profecto, si hoc est auctorem *diligentissime imitari*, (tuis enim verbis utor) neminem illorum reperies, qui non omnes prope poetas unus sit imitatus; nam et qui Maronem sequuntur, nonnulla, si sit opus, e Silio hauriunt, et Statio et Lucano; et qui Lucretium, ubi res ita postulat, Maniliana quaedam non verentur admiscere. Nemo est enim poetarum, ne malorum quidem, in quo non boni aliquid eluceat, quod eligere, et in loco imitari artificis est vel maxime periti. Hujusmodi autem non nulla in Martiale vestro reperiri, fatetur ipse Tiraboschius his verbis: *neque tamen negari debet, aliquot apud Martialem extare singularis leporis epigrammata.* Quod judicium quanta aequitate, quantoque acumine prolatum sit, post viderimus.

Nunc interea, ut tibi concedam, hos poetas usque adeo a Martiale non abhorruisse, ut vel ex bona ejus supellectile aliquid mutuari recusarent; quum tamen id obiter, et raro fecerint (omnino enim pauca erant, quae laudabiliter promerent); in totum autem aliam plane scribendi formam expresserint; non video inde sequi, eos Martialis *imitatores* esse appellandos, nedum *diligentissimos imitatores.*

XIV. Heic vero, quasi firmissima pro Martiale argumenta bene multa explicuisses, omittere te dicis Ludovici Vivesii judicium, atque adeo *sexcenta alia*, quae

sive vidit, sive ignoravit Tiraboschius, perinde in culpa fuit. Ad haec ego profecto, quia nescio, cujusmodi sint, respondere non possum; caeterum illud, pace tua dicam, talem scriptorem, qui alios nunquam, nisi modo, et via confutare soleat, ita, ut cujusque dicti sui ratio constet, minime dignum esse, cujus vel fidem, vel eruditionem generalibus, nihilque efficientibus verbis, atque ad fucum modo positis elevare quisquam conetur.

Ad Vivesium vero quod attinet, unde tandem, mi Serrane, patronos isti caussae conquiris? Transis enim in Hispaniam, hominisque natione ipsa Martiali conjuncti judicium, dissimulanter quidem, sed tamen obtrudis. An non intelligis, Tiraboschium, quum de saeculi XVI. gusto loquitur, de eo tantum loqui, qui tum in Italia vigeret? ait enim: *Equidem illud unum annotabo, saeculo XVI., quum omnium opinione optimus in Italia gustus floreret, exiguo in honore Martialem fuisse.* Quamobrem, practerquamquod non caret omni suspicione, in his praesertim rebus, judex ille, qui eadem qua, ipse, qui defenditur, gente sit ortus; ne intelligo quidem ullam vim id habere, ut Tiraboschii pronuntiatum refellat.

Sed vide, quaeso, quam non agam summo jure tecum, immo quantum paullisper de eo remittam. Etsi ab Italia discedis, etsi confugis ad Hispanos, tamen te sequor, nec quo minus Vivesium tuum audiam, recuso. Age vero, quae sunt ejus verba? omnino haec (*L. III. de trad. discipl.*): *ex Martiale obscoena rejicienda; in reliquo, cujusmodi sit, testimonio Plinii Caecilii credamus.* Jam quod attinet ad primam judicii hujus partem, tantum abest, ut quidquam ex ea laudis ad Martialem perveniat, ut etiam obscoenitatis vitium in quod saepe incidit,

non sine aversatione notetur. Quod vero ad alteram, ne haec quidem apertam continet laudem, sed nos ad Plinium delegat. Quod igitur hac de re Plinius sensit, idem et Vivesio placuisse, ex ipso scimus. Plinius autem nusquam alibi Martialis meminit, quam in XXI. Libri Epistola tertia, ubi ejus mortem cuidam Prisco nuntiat, atque ita de eo loquitur: *Audio, Valerium Martialem decessisse, et moleste fero. Erat homo ingeniosus, acutus, acer, et qui plurimum in scribendo et salis haberet, et fellis, nec candoris minus.*

En tibi quo Plinianae totius laudationis summa denique redit? Atqui hanc ipsam neque ignoravit, neque dissimulavit Tiraboschius, immo etiam ad verbum conversam attulit. Attulit quidem (inquam), sed statim adjecit, quod ostenderet, quam ea vim haberet; ait enim: » Et vero Martialem haud mediocrem a natura ad poe» sim indolem esse consequutum, ingeniumque habuis» se iis facultatibus praeditum, quas in eo agnoscit Pli» nius; nemo, opinor, negaverit. Sed illud demum quaeri » debet, utrum recte, an perverse tali ingenio uteretur". Hoc autem ex ipsius epigrammatibus ab non praeoccupato homine facile perspici potest.

Quod igitur Plinius *ingenium* et *acumen* ei tribuit, tantum abest, ut repugnemus, ut etiam haec duo maxima, ac singularia in illo fuisse fateamur. Et vero quum omnis doctorum, atque elegantium hominum in eum censura huc denique recidat, ut dicant, fucato cuidam scribendi generi, quod exquisitis sensiculis, ac vibrantibus in fine sententiolis, et quidem saepenumero falsis redundaret, nimium studuisse; non ne, si ab eo ingenium et acumen removemus, ipsum hujus vitii fontem, atque

ipsam originem tollimus? Hoc ipso enim in hanc licentiam, ac quodammodo luxuriam prolapsus est, quod ingeniosus et acutus fuit. Dum enim rejicit ut vulgaria quae non praestringunt, dum amplectitur ut sublimia quae sunt praecipitia, dum nihil non ingeniose, nihil non acute dicendum censet, nec fere usquam studium remittit; fines illos praeteriit,

Quos ultra citraque nequit consistere rectum.

Itaque ut multis immodicae opes malo fuerunt, sic huic nimium ingenium plus vitiorum in poesi attulit, quam virtutum. Quod autem addidit, eum *in scribendo et salis et candoris plurimum habuisse*; profecto falsum dixisset, si in tot Martialis epigrammatibus ne unum quidem reperiretur, quod citra affectationem salse, ac candide scriptum esset; sed quoniam non unum modo, atque alterum, verum plura ejusmodi sunt, nihil ut festivius fingi posse videatur, nulla caussa est, quin Plinio assentiamur. Quid tum? ita enim scilicet assentiri debemus ut ad haec ipsa ejus dictum referamus, non autem sic accipiamus, quasi aut omnia, aut plersque urbano, ac vero sale a Valerio scripta affirmare Plinius voluerit. Et hoc est nimirum quod ait Tiraboschius, quaeri oportere, utrum recte an perverse suo illo ingenio atque acumine uteretur; non quin credat, recte aliquando usum: dicit enim inferius, nonnulla ejus pulcherrima esse epigrammata; sed quia putat, fere perverse abusum esse.

XV. Caeterum si totum istum Caecilii locum, omni cupiditate deposita, diligenter consideraris, intelliges profecto, quam haec laudandi ratio frigida sit, ac jejuna, quamque aperte declaret, non contemptum ab eo Martialem verius, quam magni factum. Ac persequamur sane

reliquam partem ejus epistolae. *Prosequutus eram* (inquit) *viatico secedentem. Dederam hoc amicitiae, dederam etiam versiculis, quos de me composuit.* Hui, quam leviter ac remisse! Et post pauca: *quaeris, qui sint versiculi, quibus gratiam retuli?* Scilicet tales eos existimabat, ut paulo viatico possent compensari. *Remitterem te ad ipsum volumen, nisi quosdam tenerem.* Quam libenter, quam facile, quae nos laudant, ediscimus! *Tu, si placuerint hi, caeteros in libro requires.* Nempe dubitabat, quale futurum de iis esset Prisci judicium. Heic versiculos affert, et continuo adjungit: *meritone eum, qui haec de me scripsit, et tunc dimisi amicissime, et nunc, ut amicissimum, defunctum esse doleo?* Non dicit, *qui haec tam venuste de me scripsit*, sed *qui haec*, ita ut praeter argumentum, nihil aliud praemio dignum censuisse videatur. *Dedit enim mihi quantum maximum potuit, daturus amplius, si potuisset. Tametsi quid homini potest dari majus, quam gloria, et laus, et aeternitas?* O gloriosam Hispano tuo correctionem, nisi alia statim obrueretur! *At non erunt* (inquit) *aeterna quae scripsit.* Profecto, si de Catullo, de Tibullo, de Horatio, ac similibus sermo fuisset, nunquam tale quidquam opposuisset. Et tamen multo est gravius, quod subjecit: *non erunt fortasse.*

Audi quam confidenter praedicat Ovidius, magnorum poetarum opera in omnem posteritatem esse victura:

Carmina sublimis tunc sunt peritura Lucreti,
Exitio terras quum dabit una dies.
Tityrus, et fruges, Aeneiaque arma legentur,
Roma, triumphati dum caput orbis eris.
Donec erunt ignes, arcusque, Cupidinis arma,
Discentur numeri, culte Tibulle, tui.

Unde tam certa vaticinatio, nisi ex illa persuasione, tales virtutes in his poematibus inesse, ut de ipsorum conservatione, omnes, qui quaque aetate exstiterint, doctos homines sint sollicitos reddituurae? Unde ergo vicissim Plinii dubitatio? res ipsa per se loquitur. Nam quod adjungit: *ille tamen scripsit, tamquam essent futura*, hoc ad voluntatem ejus dumtaxat pertinet. Quid est igitur (ut omnia mollius interpreteris) in tota hac epistola, quod eximia, et singulari cum Martialis laude sit dictum?

XVI. Jam primum majorem animi motum, ac paulo vehementius demortui amici desiderium requiro. Tale certe in obitu aviti ostendit, quum illa scripsit ad Marcellinum (*L. VIII. ep. XXIII.*): *Omnia mihi studia, omnes curas, omnia avocamenta exemit, excussit, eripuit dolor, quem ex morte Junii Aviti gravissimum cepi.* Tum autem locus dabatur conquerendi damni, quod amoeniores literae, ac praesertim poetica in Marco Valerio fecissent. At quum Passienus poeta ex quodam morbo convaluisset, Plinius ad Severum scribens, hanc sententiam injecit (*L. IX. ep. XVII.*): *Tandem illum, tandem me recepi. Gratulare mihi, gratulare etiam literis ipsis, quae ex periculo ejus tantum discrimen adierunt, quantum ex salute gloriae consequentur.* Sed mittamus haec.

Ubi ad Martialis virtutes venit, non ne amplior esse potuit? nonne eas uberiori oratione prosequi, atque ornare? Atqui de Saturnino ad Erucium scribens, eum ita laudat, ut cum Catullis, et Calvis conferat (*L. I. ep. XVI.*): *Praeterea facit versus, quales Catullus, aut Calvus. Quantum illis leporis, dulcedinis, amaritudinis, amoris!*

Inserit sane, sed data opera, molliusculos, leniusculosque, duriusculos quosdam; et hoc quasi Catullus, aut Calvus. Itaque ad hujus libros legendos Erucium incitat his verbis: *An si inter eos, quos nunquam vidimus, floruisset, non solum libros ejus, verum etiam imagines conquireremus; ejusdem nunc honor praesentis, et gratia quasi satietate languescet?* Cedo nunc tale aliquid de Martiale. Etsi legas velim quae et de Octavio in L. II. ep. X., et de Calpurnio in L. V. ep. XVII., et de Passieno in L. IX. ep. XXII. ab eodem Plinio scribuntur.

Nam illud quidem, quod in L. IV. ep. XXVII. de Sentio Augurino Falcone narrat, insignius est, quam ut praeterire possim. *Tertius dies* (inquit) *est, quod audivi recitantem Sentium Augurinum cum summa mea voluptate, immo etiam admiratione: poematia appellat: multa tenuiter, multa sublimiter, multa venuste, multa tenere, multa dulciter, multa cum bile. Aliquot annis puto nihil generis ejusdem absolutius scriptum, nisi forte me fallit aut amor ejus, aut quod me ipsum laudibus vexit.* Quae tamen exceptio, si tu eam urges, in Valerium tuum pariter convenit. Includit autem illis literis Augurini versiculos, immo *versus* (alteram enim illam vocem Martiali reservat), quibus eum laudaverat, quos memoriter tenebat. Hoc idem, inquit, de Martiale fecerat: verum; sed his adscriptis statim addit: *Vides quam acuta omnia, quam apta, quam expressa? Ad hunc gustum totum librum repromitto.* Num hoc et de Martiale dixerat? cujus etiam scripta, metuebat, ut aetatem essent latura. Atqui non eodem metu afficiebatur de Octavii sui carminibus, quae, illum, ut ederet, sic hortabatur: *Sine per ora hominum ferantur, iisdemque, quibus lingua romana, spatiis pervagentur. Habe ante*

oculos mortalitatem, a qua asserere te hoc uno monumento potes.

Cave hoc loco ad ineptissimum illud responsum confugias, scilicet istorum omnium, quos tantopere laudat Caecilius, atque aliorum etiam quorundam carmina, nequidquam aliter praedicentibus vatibus, periisse; Martialis autem salva, atque integra ad nos pervenisse. Neque enim aut deteriores illorum versus, quod interciderint, aut hujus, quod superstites fuerint, meliores propterea sunt existimandi; quum judicare quidem hominibus liceat, quid immortalitate sit dignum, quid minus, atque adeo de cujusque rei fortuna ex ejus vel praestantia, vel tenuitate conjicere: caeterum id omne non humana voluntas, aut ratio, sed res incertissimae, sors, ac tempora moderentur. Quod ni ita esset, nequaquam Marci Senecae potius controversiae, quam tot Ciceronis orationes, quae interierunt, superessent; nequaquam superstite Floro, pleraque Livii volumina, nec, ut poetas attingam, aetatem ferente Maximiano nescio quo, Cornelii Galli laudatissima poemata periissent. Dies me deficeret, si omnia enumerare vellem, quae vel posteritatis cura non satis digna casus servavit, vel aeternitate dignissima intercepit. Verum, ut in re manifesta, nimis jam multa dixi.

Nunc interea satis vidisti, neminem esse, qui illa aetate in hoc leviori poesis genere versaretur, qui non multo studiosius, et ornatius a Plinio laudetur, quam Martialis. Quod si ille et amicum et laudatorem suum adeo parce laudavit, quid, quaeso, facturus erat, si nulla neque familiaritas, neque gratia intercessisset?

XVII. Verum jam ad te redeo, meque mirari fateor,

cur neges, ejusmodi esse Martialis caussam, ut de illa liceat Tiraboschiis judicare. *De ea judicavit* (inquis) *argenteum saeculum.* Enimvero si Tiraboschium ob id ipsum excludis, quod non ea aetate floruerit, nescio cur caeteris, qui eadem conditione sunt, auctoritatem deferas judicandi. Etenim aut neminem rejicere, aut uno omnes jure debes comprehendere. Caeterum quam leve hoc sit, quam nullius momenti, nihil necesse arbitror pluribus demonstrare; et praeterea non puto Tiraboschium ob tua ista dicta poenitere, quod hac demum aetate natus sit. Sin autem rejectio tua non temporis ratione, sed ipsius hominis vitio nititur, atque illud spectat, quod superius posuisti, eum *perquam tenuiter viaticatum ad scribendum accessisse*, nae mihi, mihi autem? immo vero doctissimis quibusque Italiae viris longe aliter est visum, qui historiam illam tantis plausibus exceperunt, quantis jamdudum nihil.

Equidem ut primum eam in manum sumpsi, tantam eruditionis et doctrinae copiam illico agnovi, ut vehementer gavisus fuerim, hujusmodi operis editionem in illud aetatis meae tempus incidisse, quod adhuc esset ad discendum opportunum, atque ad fructum percipiendum idoneum. Etsi non tam eruditionis divitiae admirationem mihi movent, quam judicium in eligendo, in refutando acumen, ingenium in conjiciendo, in judicando prudentia: quas ille virtutes omnes singulari quadam felicitate complexus est.

Verum tua illa verba, quaeque continuo sequuntur, diligentius perpendamus. *De ea judicavit* (inquis) *argenteum saeculum, in quo scribebat, et in quo coci et muliones melius de his rebus judicabant, quam qui hodie*

familiam ducunt in literis, ut utar Mureti verbis. Pro Dii immortales! non enim possum, quin exclamem cum Tullio, egone me audivisse aliquid, et didicisse non gaudeam? Vide, ne aciem ingenii tui, magni alioqui et praeclari, nimium Martialis studium perstrinxerit.

XVIII. Muretus quidem in oratione, quae est quinta decima voluminis secundi (edit. Comin.), contra fatuos quosdam aetatis suae homines declamans, qui in scribendis latinis carminibus voces omnes, quae aureorum poetarum non essent, aversabantur; quumque sibi indices quosdam confecissent dictionum earum, quae in talibus poetis reperirentur, et ex iis, quasi tesserulis, famelicos et strigosos versiculos coagmentarent, putabant se cum Virgiliis jam posse aequiparari, argenteae quidem certe aetatis poetas superare, ad quorum vel nomina (ingens fastidium!) nauseabant; *isti* (inquit) *non ferendi, qui ab omni eruditione imparati, quasi satis sit dixisse, ego pulchra poemata pango, audent se cum eis componere, aut etiam eos prae se despicere, a quorum coquis, aut mulionibus, si hodie viverent, scribendorum carminum laude facile vincerentur.* Hic est, opinor, locus, qui tibi ad me scribenti tum forte obversabatur. Verum, si voles paullo diligentius attendere, fatendum tibi erit profecto, eum locum dupliciter abs te detortum esse.

Primum enim quod de ineptis aliquot poetis definite Muretus dixit, id tu infinite ac generaliter enuntias; vel potius eam sententiam Mureto affingis, qua nihil ab ejus mente alienius esse possit: quum dictum ab eo positum ad irridendam quorundam fatuitatem, in doctissimos quosque homines, si Diis placet, convertas. Deinde vero ea ad judicandi transfers peritiam, quae ille de

componendi sollertia pronuntiavit. Quamquam ejusmodi pronuntiatum, si quidem eo, quo tu vis, sensu, hoc est, generaliter, ac de principibus in literis viris foret accipiendum, etiam ad componendi laudem relatum, absurdum esset. Quae re vera ita esse, et facile et breviter demonstrabo.

Scribit Muretus, quosdam aetatis suae homines, qui se latinos poetas quam optimos putabant, nec erant, solitos esse argentei saeculi poetas prae se contemnere; quum interea ita ipsi scriberent, ut ab illorum, quos contemnebant, poetarum coquis ac mulionibus, si vitam ad ea tempora produxissent, facile superari potuissent. Quo loco illud primum intelligi licet, modum esse loquendi latiorem, planeque ὑπερβολῇ proximum, et quo Muretus, non serio, quod sentiret, exponendi, sed tales homines irridendi, et in summam contemptionem adducendi caussa usus fuerit. Deinde apparet, non de judicandi peritia hic agi, sed de componendi facultate.

Quis autem non concedat, multo futurum facilius, ut argentei saeculi coquus aliquis, aut mulio, qui quidem cum latinae linguae nativa volubilitate promptum ingenium, atque ad poeticam proclive conjungeret, in faciendis latinis numerose fluentibus versibus quosdam nostri temporis literatos superaret, qui videlicet nec Romano sermone expedite uterentur, nec ullo praeterea naturali ad id bono adjuvarentur, sed cum jejuni, tardique in reperiendis dictionibus, tum in componendis asperi plane, ac duri essent; quam ut de alienis poematibus recte, sapienterque judicaret? Postremo perspicuum est, Muretum illis verbis malos sui saeculi poetas notare, non bonos: de quibus non est veri simile, ut

tale aliquid ex ore sibi excidere unquam passus fuerit; nihil enim absurdius dicere potuisset. Quod si te tamen libido incesseret defendendi id, quod Muretus minime dixit, etiam bonos recentes poetas ab antiquis cocis et mulionibus, si viverent, iri superatum; haud difficile mihi esset istos quoque conatus eludere ac refutare.

Tunc enim universam poeticam in duas illas, quibus constat, partes, inventionem atque eloquutionem distinguerem, vereque ostenderem, bonos nostrae aetatis latinos poetas, non dicam in prima, de qua nemini dubium esse potest, sed etiam in altera, argentei saeculi cocis et mulionibus longe multumque antecellere oportere. Docerem videlicet, quod hodie in Italica, et in reliquis vigentibus linguis accidit, idem olim in Latina usu venisse, ut duo essent genera sermonis, alterum neque sincerum, neque emendatum, quo vulgus, et quidam etiam illiterati nobiles, alterum et politum et elegans, quo docti homines uterentur. Heic jam quaererem, qui ex recentibus scriptoribus latinitatis laude florent, ii unde latine didicerint. Quos quum liqueat, Ciceronem, Terentium, Caesarem, Virgilium, ac tot alios auctores quotidianos, ac domesticos magistros habuisse, rogarem rursus, an credibile videatur, ut qui omnem latinae orationis proprietatem, elegantiam, saporem ex illorum ipsorum non extemporalibus sermonibus, sed elaboratis operibus hauserint, qui tum aurea, tum argentea aetate primos in eloquentia ordines duxerunt; ii nihilo melius latine scribant, quam illis temporibus scripserint, loquutique fuerint plebeji homines, itemque nobiles quidam oratione plebejis non dissimiles; atque adeo metuere debeant, ne, si quis repente e coquis illis, aut mulionibus existat,

eosque ad certatim aliquid scribendum lacessat, ut pronuntiatione, quae in hac lingua tota est antiquis, vel idiotis, concedenda, sic etiam verbis, verborumque compositione facile superentur?

Hoc loco nequaquam mihi deessent, quibus sententiam meam magis ac magis fulcirem, ac confirmarem. Proferrem verba Ciceronis in Bruto (c. LXXIV) ubi queritur, latinitatem corruptam esse, postquam in urbem multi inquinate loquentes ex diversis locis confluxerint; at continuo monet, *eo magis purgandum esse sermonem, et adhibendam, tamquam obrussam, rationem, quae mutari non potest, nec utendum pravissima consuetudinis regula.* Item alia ejus verba objicerem ex tertio de oratore (c. X.) *omnis loquendi elegantia* (puta dictum *scribendi*) *quamquam expolitur scientia literarum, tamen augetur legendis oratoribus et poetis.* Denique antiquorum exempla subjicerem tum eorum, qui quod vulgi consuetudinem sequerentur, latine male loquebantur, tum eorum, qui ad puri sermonis laudem non alia re, quam studio ac literis pervenerunt. Haec, atque alia multa quum ordine explicuissem, tum ad illud redirem: qui latine his temporibus bene scribunt, illos ipsos oratores, historicos et poetas imitantur, qui optimi sunt habiti; tanta autem erat inter ejusmodi hominum orationem, et plebejam distantia, quantam inter lucem, ut ita loquar, et tenebras videmus; quippe illi scientia literarum, et bonorum auctorum lectione expoliti, vitiosa quaeque repudiabant, omniaque non ad pravam consuetudinis regulam, sed ad illam rationis obrussam, quam dicit Tullius, exigebant; quorum nihil populus faciebat. Sequitur ergo, ut recentium quoque bonorum auctorum oratio,

quae integerrimae, atque omni ex parte perfectae veterum auctorum orationis imago est, ab illo loquendi, scribendive genere, quo Latinorum aetate imperiti, ac rudes homunculi usi fuerint, longe multumque in melius differre debeat.

At enim diceres: agnosco ex quo fonte ista fluxerint. Nempe sequutus es M. Antonium Flaminium, cujus haec sunt in Italica quadam ad Basilium Zanchium epistola: » Vere dici potest, melius his temporibus scri» bi, quam post illam Caesaris atque Augusti felicissi» mam aetatem. Dicam amplius: scilicet me pro certo ha» bere, esse hodie multos, qui in percipienda, assequen» daque latinae linguae proprietate ac venustate, pluri» mos ex Romanis nobilibus iis, qui Caesaris et Augu» sti aetate vixerunt, superent. Canssa est in promptu: » nos enim eam a Cicerone, a Caesare, atque a caete» ris discimus, qui antiquorum omnium judicio ejus lin» guae peritissimi fuerunt; illi satis habebant ex fami» liaribus atque ex populo discere. Quae res quantum » periculi habeat, declarare potest Marcus Antonius o» rator, is, quem celebrat Cicero, qui, ejusdem testimo» nio Ciceronis, diligenter loquendi laude caruit. Cujus » vitii Marcum Crassum non arguit; neque enim ille » vulgari sermone contentus fuit, verum e Terentio, cae» terisque idoneis auctoribus puram latinitatem didicit; » quemadmodum fieri oportere in libris de oratore monet » Cicero ". Quid igitur? nunquam profecto me pudebit fateri, atque etiam prae me ferre, his utique potissimum Flaminii verbis adductum esse, ut isti sententiae, ad quam semper mea sponte inclinassem, ac propendissem sine dubitatione tandem adhaerescerem, quum et ejusmodi

rationibus niti viderem, quibus nullae planiores fingi possent, et ab eo homine proferri ac defendi, qui fastidii delicatissimi fuisset, latineque ipse quam optime atque suavissime scripsisset. Sed quorsum heic ista? aut cur ego de hac re tam multa dixi, quae in aliud omnino tempus reservari oportebat? quare in viam redeo.

XIX. Si igitur non multum laborandum ei esset, qui probare vellet, Mureti propositionem, ubi de bonis recentibus Latinitatis auctoribus sit sermo, etiam ad scribendi facultatem relatam, absurdam esse; quanto facilius ostendi potest, eandem ad judicandi peritiam detortam, haud paullo fieri absurdiorem! Etenim ubi agitur de poematibus aliena lingua conscriptis, ut judicare de illis recte quis possit, nequaquam ei necesse est linguam illam ita callere, ut si in ea natus esset; tantum sufficit, ut justam ejus intelligentiam sit consequutus. Contra vero necessarium est plane, ut earum rerum omnium, quae ad inventionem attinent, quam peritissimus sit, ut quid in quoque poematis genere optimum, quid minus existimari debeat, acute dispiciat: paucis ut artificium, ut virtutes ac vitia poetica penitus cognita, perceptaque habeat; quae quidem non alia apud Latinos, alia apud Italos, alia nunc, alia olim fuerunt, sed jam inde ab ultimo poeticae principio, eadem usque et immutata, in omnes linguas et gentes, et in omnia saecula pariter convenerunt, semperque convenient.

Age nunc jam: qui tandem, obsecro, defendere audebis, argentei saeculi coquos et muliones, hoc est, indoctos, rudes, crassosque homines (et quidem muliones etiam proverbio locum fecerant, quo qui alicujus imperitiam significare volebant, eum *infantiorem* dicebant,

quam suus esset mulio (Varr. apud Non.), qui, inquam, defendes, illius aetatis idiotas uberiori doctrinae copia instructos ad judicandum de illis poeticae partibus fuisse, quae inventionis propriae habentur, quae ad omnes et linguas et gentes communiter pertinent; quam sint nostri temporis literatissimi, vel, ut tuis utar verbis, *qui hodie familiam in literis ducunt?* Enimvero nec Muretus quidquam tale unquam dixit, et tu ipse, si hoc verbum otiosus reputaveris, proculdubio revocabis.

Quod si nunc ego te rogem, quid igitur jam obstet, quo minus Tiraboschius, quique Tiraboschii similes sunt, de Martialis carminibus rite judicare possint, profecto obmutescas, necesse est. Etenim tales homines et linguam latinam, ut levissime dicam, probe intelligunt, et certas illas virtutes, ac vitia poetica, quae omnibus linguis, populis, aetatibus communia esse dixi, nihilo minus cognita habent, quam docti argentei saeculi homines habebant.

XX. Quibus ex rebus duo rectissime colliguntur, primum, nostrae aetatis literatos aeque atque illos, qui vigente latinitate floruerunt, judicare posse; deinde, posse etiam praeterea veterum doctorum judicia ad trutinam revocare. Quando igitur scribis, *judicasse jam de Martiale argenteum saeculum*, quaeritur scilicet, ecquod fuerit istorum veterum de tali poeta judicium. Profecto enim ex illis, quorum scripta quaedam ad nos pervenerunt, si unum Plinium excipias, nemo est, a quo, non dicam celebratum Martialem, sed omnino verbum de eo factum esse, aut in libris, qui supersunt, videamus, aut in aliis, qui perierint, acceperimus. In ipsius autem Plinii laudatione quanta vis insit, vel potius quam exigua,

superins est demonstratum. De reliquis ejus aetatis hominibus, nihil nos quidem habemus praeterquam ipsius Martialis testimonium, qui in epigrammate quodam de nniversae Romae favore satis magnifice ita gloriatur:

Laudat, amat, cantat nostros mea Roma libellos,
Meque sinus omnis, me manus omnis habet.

Quo quidem tanto hiatu si vulgi quoqne, ac mulionum, coqnorumque studium significare fuit animus, nihil curamus, quid dicat.

Aliis autem in locis complures fautores snos nominatim commemorat, Silium Italicum, Regulum, Licininm Suram, Parthenium, Stellam, Caesium Sabinnm, Valerium Flaccum, Priscum Terentium, Stertinium, Decianum, Turanium, aliosque, quorum tamen omnium, praeterquam Silii et Flacci, tantum non sola ac nuda nomina accepimus; Silium quoque, et Flaccum, ex ipsorum scriptis non optimos poetas cognovimus. Quid igitur? ad homines fere quidem lautos, atque opulentos, cetera nobis ignotos revocamur, quos sicubi Martialis in caelum tulit, ut non mirari, ita nec moveri ullo modo debemus. Primnm enim qnis illud nescit Ovidii:

Nec tamen ut testes mos est audire poetas?

quis, inquam, nescit, proprium esse poetarum omnia exornare, atque angere, nec historica fide sua verba obligare? Deinde quis non intelligit, hunc potissimum poetam libenter praeter caeteros ea licentia oportere esse usum, qui non modo communi consuetudine, verum etiam propriis multis commoditatibus ad id impelleretur? Laborabat homo videlicet rei familiaris inopia: itaque procerum, ac ditiorum nomina impensius celebrabat,

(nihil enim dico, quam impudenter Domitiano Caesari, homini cum a literis remoto, tum vitiorum plenissimo assentari solitus esset, ex quo non mirum, si etiam trium Liberorum jus ab eo facile impetrare potuit) hinc crebro conviviis intererat, crebra accipiebat munuscula, libenter audiebatur. Et quis est adeo durus, immo tam sui ipsius inimicus, qui laudatorem suum, etiam si tacite apud se improbet, palam tamen reprehendat ac vituperet? Hac ille aura provectus, cur animos non tolleret? cur non modo poetarum, sed Hispanorum quoque more, quam gentem unam omnium maxime gloriosam esse constat, cur, inquam, et alienum de sua, et suum de aliena virtute judicium non facundius exaggeraret?

Nos autem, mi Serrane, in tanta testium inopia quid facere ratio jubet? An huic uni de se ipso glorianti fidem habere? atque ita habere, ut omnia ab eo sine fuco, sincere, simpliciterque narrata arbitremur? nihil nos igitur deterrebit poetae nomen? nihil Hispanici spiritus notitia? nihil ambitionis artisque suspicio? Atqui si clamantis rationis vocem audire volumus, fateri sine controversia debemus, Martialis testimonium esse magnopere suspectum, nec fidem facere nobis plane posse, aut ipsum tantis laudibus ornatum ab illis hominibus fuisse, aut illos homines tanta intelligentia, atque auctoritate praestitisse.

Verumtamen (vide quam non severe tecum agam) concedamus, poetam tuum nihil amplificare, nulla nec gloriae, nec gratiae cupiditate provehi, omnino historicum agere; commoverit sane maximos plausus, valuerint ejus fautores auctoritate, ille ipse Regulus, quem iste

facundum vocat, alii, in quibus et Plinius (1), dicendi imperitum, ambitiosum, mendacem, subdolum, infamem dicebant, fuerit vir egregius. At hi omnes Martialis erant amici, assidueque ab eo, quem iuopia, ut dixi, impellebat, omni officiorum genere colebantur; susceperant eum iu clientelam hac observantia adducti (2), etiam ingenii admirabili acumine excitati, mox, ut fit, in familiaritatem: una vivebant, iisdem et voluptatibus et studiis una utebantur, quodque maximum est, saepissime illum et domi, et in coetibus eorum laudes elatis versibus celebrantem audiebant. Quis igitur illos plausus existimet sinceros fuisse, qui ipsi a talibus hominibus impertirentur? quis enim ignorat, quantum apud homines amor valeat, qui omnia, quae ab amicis proficiscuntur, meliora nobis, ac praestantiora pingit; quantum porro gloriae cupiditas, qua profecto omnes trahimur, quae facit, ut a quibus laudamur, eorum scripta, et si non sint, quam optima videri cupiamus, atque adeo in

(1) Vide lib. I. Ep. V., l. II. Ep. XX. et l. IV. Ep. VII. in qua Caecilius narrat Herennium Senecionem mirifice Catonis illud de Oratore in Regulum e contrario vertisse: *Orator est vir malus dicendi imperitus*. Mox ipse adjungit. *Non mehercule Cato ipse tam bene verum Oratorem quam hic Regulum expressit*. Hic autem ille est quem Martialis laudat l. I. Ep. XIII. ut fatetur ad eum locum et Farnabius.

(2) Notatu digna est Plinii sententia illa in lib. IV. ep. XVII ad Gallum de Corellii amicitia, *quem ego* (inquit) *quum ex admiratione diligere coepissem, quod evenire contra solet, magis admiratus sum postquam penitus inspexi*. Omnino solent homines saepius ex amore admirari quam ex admiratione amare, propterea quod amicitias nullo fere gravi judicio nec aliqua virtutis luce ducti, sed officiis et praesertim assentatione devincti captique et suscipiunt et retinent.

honorem adducere conemur, quo melior enim est laudator, eo nos laudatiores haberi intelligimus (1)?

Huc addas licet illam urbanitatis quasi legem, qua ad eos vicissim laudandos, a quibus laudati sumus, quodammodo astringimur; itaque qui hoc faciunt, eos non tam proferre judicium suum, quam referre gratiam merito suspicamur. Et sunt praeterea quidam tanta benignitate, ut amicos ultra modum laudare soleant, quorum ex numero ipsum Plinium Caecilium fuisse, epistola ejus quaedam ad Septitium testatur. Vides ergo tributas Martiali ab hisce hominibus laudes (fingimus enim poetam candide loqui) cupiditatis suspicionem, quae auctoritatem judicio vel maxime derogat, multimodis habere.

Huc accedit, quod plane ignoramus, utrum omnia isti Martialis poematia omnino laudaverint, vel potius approbaverint (nec enim eadem semper approbamus, quae laudamus, quum saepissime auctori gratificemur), an tantum quaedam, et nimirum illa ipsa, quae nos quoque laude dignissima esse consentimus. Itaque hoc ipso, quod neutrum liqueat, nihil vobis quidquam concedi a nobis debet.

(1) Egregie hoc Cicero expressit in celebratissima illa ad L. Luccejum epistola, his verbis: *Neque autem ego sum ita demens ut illi sempiternae gloriae per eum commendari velim, qui non ipse quoque in me commendando propriam ingenii gloriam consequatur. Neque enim Alexander ille gratiae causa ab Apelle potissimum pingi, et a Lysippo fingi volebat; sed quod illorum artem cum ipsis tum etiam sibi gloriae fore putabat.* Et inferius: *Placet enim mihi Hector ille Naevianus, qui non tantum laudari se laetatur: sed addit etiam: a laudato viro.*

XXI. Quod si et omnia, et sine cupiditate approbarunt, equidem non aliam hujus rei caussam fuisse dixerim, quam quod eo voluntatis genere imbuti essent, quod ab Augusti morte, quicum vera eloquentia pridem de summo delapsa, plane expirare visa est, majorem doctorum partem occupaverat; quod genus vitiosum erat, non modo recentium, verum etiam saniorum ejus aetatis hominum judicio.

Et sane audire licet saepenumero Marcum Fabium Quintilianum, singularis, vel potius caelestis judicii virum, istam suorum aequalium complurium perversitatem copiosissime conquerentem. Ejus sunt verba haec ex capite V. L. VIII. Instit. Orat. *Nunc illud volunt, ut omnis locus, omnis sensus in fine sermonis feriat aurem. Turpe autem, ac prope nefas ducunt, respirare ullo loco qui acclamationem non petierit. Inde minuti, corruptique sensiculi, et extra petiti. Neque enim possunt tam multae bonae sententiae esse, quam necesse est multae sint clausulae.* In decimo quoque Libri XII. capite sic ait: *Falluntur plurimum qui vitiosum, et corruptum dicendi genus, quod aut verborum licentia resultat, aut puerilibus sententiolis lascivit, aut immodico tumore turgescit, aut inanibus locis bacchatur, aut casuris, si leviter excutiantur, flosculis nitet, aut praecipitia pro sublimibus habet, aut specie libertatis insanit: magis existimant populare, atque plausibile. Quod quidem placere multis nec inficior, nec miror.* Itaque rectissime quodam loco: *si necesse sit* (inquit) *veterem illum horrorem dicendi malim, quam istam novam licentiam. Sed patet media quaedam via, sicut in cultu, victuque accessit aliquis citra reprehensionem nitor, quem sicut possumus, adjiciamus virtutibus. Prius tamen*

sit vitiis carere; ne dum volumus esse meliores veteribus, simus tantum dissimiles.

Quod utinam Martialis mediam hanc viam tenuisset, nec solas ubique captasset sententiolas: non tam multas necesse sibi fuisset dicere leves, frigidas, falsas, ineptas; *non enim* (ut ait idem Fabius) *potest esse delectus, ubi numero laboratur;* nec vero illa ex XII. Libro Quintiliani verba legentes, depictam ejus imaginem cernere nobis videremur. Ut ergo ad rem redeam, ex istorum scilicet grege, quibus ejusmodi scribendi genus perplacebat, fuisse oportet Martialis tui amatores; nam alioqui ne Plinius quidem Caecilius, quemadmodum ex ejus scriptis perspici potest, ab isto sententiarum studio remotus fuit, nec tamen in eo invenias, quod putidum merito dicas. Quamquam non ignoro, de eloquentiae gustu Quintilianum hic loqui; sed nimirum eadem haec vitia aeque in ligatam atque in solutam orationem conveniunt; itaque qui ista in hac amarent, fieri non poterat, ut iidem in illa rejicerent; quin veri simile est, tanto vehementius in poesi errasse, quanto magis perversam hanc voluntatem ipsa poesis licentia fovere, atque augere potuit.

Quamobrem non est dicendum, optimum fuisse poetam in suo genere Martialem, quod a multis sit laudatus; sed multos Martialem propterea esse admiratos, quod illa corrupti gustus labe infecti fuerint, qua ipsius Martialis pleraque sunt inquinata poematia. Etiam Marinius innumerabiles habuit XVII saeculo tum imitatores, tum amatores; nemo est tamen, qui Marinium potius sanum, ac sincerae elegantiae poetam dicat, quem tamen omnes, ut Martialem, ingeniosum, atque acrem virum

fateutur, quam illos homines nullius judicii, ac prorsus male sanos. Nunc haec omnia, quae dixi, iu unum conferas, velim: videbis jam nihil efficere tua illa verba: *de Martialis caussa judicavit argenteum saeculum, in quo muliones et coci melius de his rebus judicabant, quam qui hodie familiam ducunt in Litteris, ut utar Mureti verbis.*

XXII. Sed jam iterum redis ad Muretum, et cujus verbis paullo ante abusus eras, eundem nunc levitatis convincere conaris. Scribis enim, *scire te hujus ipsius Mureti judicium parum Martiali favere; verum et illud scire, Mureti judicium Justo Lipsio judicii dissimile videri; Adriano Turnebo valde displicere; ab innumeris aliis doctissimis viris ut insubidum, et insanum explodi.* Jam, si Diis placet, insanire et delirare ille dicitur, qui Gallus quum esset, et iu Lemovicibus natus, vix unum aut alterum ex Italis iu latina eloquentia, et poesi pares habuit. Sed ipsum ejus de Martiale judicium, quale fuerit, videamus.

Quum dedicaret Muretus Bernardino Lauredano sua illa iu Catullum Σχόλια (*Ep. x. l. iii.*), putavit nonnihil sibi esse disserendum de caussis, quibus Romani iu scribendis poematibus a recta via paullatim deflexerunt; quumque dixisset, hoc malum ab Hispanis poetis praecipue manasse, qui *inflatum quoddam, et tumidum invexerunt orationis genus, et averterunt exemplo suo caeteros a recta illa, et simplici, in qua praecipua poetarum laus est, et in quam superiores, omni studio incubuerant, imitatione naturae*; haec ipsa subjunxit: *Itaque fere post Augusti tempora, ut quisque versum maxime inflaverat, sententiam maxime contorserat, eo denique modo locutus fuerat, quo nemo serio soleret loqui,*

ita in pretio haberi coepit. Quin etiam fucatus ille splendor, et adulterina eloquentiae species ita nonnullorum, qui verae eloquentiae gustum non habent, occoecavit animos, ut his quoque temporibus exstiterint Hispani duo, homines caeteroqui et in primis eruditi, et scriptis editis nobiles, quorum alter Lucanum Virgilio, alter Martialem Catullo anteponere veritus non est. Quorum ab utroque ita dissentio, ut, si quis Deus potestatem mihi, optionemque faciat, non dicam Virgilii, cui videor injuriam facere, si eum ullo modo cum caeteris comparem, sed Ennii alicujus, aut Furii, quam Lucani, multo similem in scribendo esse me malim; inter Martialis autem et Catulli scripta, tantum interesse arbitrer, quantum inter dicta scurrae alicujus de trivio, et inter liberales ingenui hominis jocos, multo urbanitatis aspersos sale. Neque vero negaverim, multa in Martiale quoque non inscienter dicta reperiri, sed profecto deteriorum longe numerus major est. Latinae quidem orationis nativa illa, minimeque quasi pigmentis infuscata germanitas in Martiale nulla est, in Catullo praecipua. Iis de caussis, quum ab illo altero, nescio quomodo, semper abhorruissem, Catullum contra nunquam non mirabiliter amavi. Satis, opinor, perspicuum est, non temere, neque ex libidine haec Muretum effutire, sed rationem proferre, cur ita sentiat.

Quaenam habes tu igitur, quae ex Lipsio objicias? nempe haec (*L. I. Epistolic. Quaest. Ep. I.*): *Quid censes tu? non melius de Martiale Scaliger judicavit, qui versus ejus candidos numerosos, plenos epigrammata multa divina dicit, quam ille, qui scurram de trivio appellat? Nollem excidisset viro magno hoc judicium judicii dissimile. Nihil ad Catullum Martialis, scio: sed et hoc scio, epigrammata*

illa nec in trivio nata, nec omnia in triclinio. Sunt loci aliquot leves, vulgati, pueriles, sed meliorum major est numerus. Faceret e re literaria, si quis delectum epigrammatum ejus haberet, et bonis adfigeret laudis notam, aliis culpae. Profecto quum Belga iste concedat, Hispanum tuum a Catullo longe superari, neque inficietur, esse in illius poematiis vulgata quaedam, et putida; duo illa, in quibus a Mureto dissentit, me minus movent. Primum enim aegre fert, quod Martialis *scurrae de trivio* comparetur, deinde affirmat, in hoc poeta meliorum poematum majorem esse numerum.

Ad primum quod attinet, Muretiani judicii vis, quemadmodum ostendetur, in illa comparatione non est posita, sic ut qui eam reprehendat, totum illico judicium convellat. Quod autem ad alterum, vix aliud exspectandum erat ab homine docto illò quidem, sed natura Martiali persimili, Taciti etiam, et Senecarum studiosissimo, cujus parum sanum gustum curta illa ostendit, nec satis ubique pura, et vibrantibus sententiolis non sine obscuritate referta oratio. Itaque admirandum potius hunc censeo, quod Catullum praeposuerit, quam insectandum, quod in Martialem plura bona crediderit; quum enim ipse affectato scribendi genere delectaretur, ea tantum improbasse oportuit, quae perspicue inepta, et absurda essent: multa vero, quae sinceri judicii homines, ut fucata, aut frigida rejecissent, utique pro sanis, et belle excogitatis habuisse.

Muretus contra et soluta et ligata oratione Tullianae aetatis scriptoribus simillimus, quique sciebat, ut ille ait, *inurbanum lepido seponere dicto*, deteriorum dictorum in Martiale longe majorem esse numerum judicavit, non

negans videlicet, *multa in eo quoque non inscienter dicta reperiri.* Quod idem Tiraboschio placet, ut initio vidimus. Quae dum scribo verissimi illius dicti recordor, quod in quarto Academicorum posuit Cicero: *statuere, qui sit sapiens, vel maxime videtur esse sapientis.* Quod si valet etiam in hujusmodi rebus, ut statuere, qui bonus et urbanus scriptor haberi debeat, qui secus vel maxime boni, et urbani scriptoris sit: non est, opinor, deliberandum utrius sententiam sequamur, Justi ne Lipsii, an Marci Antonii Mureti.

XXIII. Venio nunc ad Turnebum, nam de *innumeris aliis*, a quibus Galli judicium explodi scribis, neque respondere iis possum, quia, qui sint, nescio, neque tu poteris, quum sint innumeri, recensere. Turnebus autem ita scribit (*Advers. l. XIII c. XIX*): *Quum a lepidissimo poeta, nec enim illis assentior qui scurram ineptum eum appellant, neque satis elegante musa libros epigrammatum scripsisse autumant, canitur etc.* Primum omnium, quum haec Turnebus non ex professo de Martiale disserens posuerit, sed per occasionem afferendi ejus versiculi, obiter, et plane aliud agens incluserit, non ejusmodi sunt, ut observatione digna videantur. Deinde, etiam ut talia observare et probe examinare velimus, huc tamen redire denique comperiemus, ut Martialis *lepidissimus* vocetur, utque *inepti scurrae* appellatio rejiciatur.

Verum quod *lepidissimum* dicit Martialem (et supra l. VIII. c. IV. *festivissimum* dixerat) non continuo declarat, eum ab omni vitio vacuum, et integrum sibi videri, ac multo minus Catullo lepidiorem, immo nec ipsi parem. Quod autem *inepti scurrae* nomine eum afficientes reprehendit, eandem, quam Lipsius, canit cantilenam;

itaque etiam utrique eadem opera censeo respondendum.

Illud interea advertere te volo, e Turnebi verbis haud obscure colligi, non unum Muretum, sed et alios complures in ea opinione fuisse, ut Martialis poemata scurrile nescio quid redolere existimarent. Et sane Jovianus Pontanus, homo caeteroqui in Martialem propensior, in capite XVIII l. III. *de Sermone*, multo ante de eo scripserat: *Ad haec dictis ejus partim occultissima quaedam inserit spicula; partim verba quae non solum a faceto sint aliena, verum aut obscoena ipsa admodum, scurriliaque aut maxime ampullosa et acida. Quod quidem Hispanicum est.* Sed quando superius vidi, magni abs te fieri Ludovici Vivesii auctoritatem, nec immerito; equidem obsequar opinioni tuae, et hujus ipsius verba proferam ex eo libro, unde tu breve illud, et nostrae sententiae consentaneum judicium deprompsisti. Ita ergo ibi ait: *Sunt* (Auctores) *quos nihil necesse sit legi, sed in bibliotheca tantum servari ad consilium, quum usus poscat. Ante omnia arcendus puer ab auctore, qui vitium potest fovere ac nutrire, quo is laboret: ut libidinosus ab Ovidio, scurrilis a Martiale, maledicus et subsannator a Luciano.* Nempe ergo fatetur, eum esse Martialem, qui *scurrilitatis* vitium fovere ac nutrire possit; quod profecto non dixisset, si ipsum tali vitio carere putavisset. Quamobrem vide etiam atque etiam quid agas: aut enim ad Gallum transeas, necesse est, aut Vivesium tuum, quem modo ut optimum omnium judicem efferebas, *ut insubidum et insanum explodas.* Verum haec in transcursu dicta sunto.

XXIV. Hactenus igitur cernere mihi videor, omnem

fere Lipsii et Turnebi orationem in illum loquendi modum recidere, quo Muretus in Martialem est usus, ut pote paulo acerbiorem: quem defendere equidem non laboro. Ita sumus omnes, mi Serrane: si qua opinio penitus in animis nostris insedit, ita studiose eam inculcare, contrariamque ita acriter repellere solemus, ut modum saepenumero transeamus; itaque iidem et magni laudatores sumus, et censores severi. Sed enim plurimum interest, utrum, in exponenda nostra aliqua sententia animi fervore provehi nos patiamur, et audaciora quaedam inseramus; an revera ineptam, aut probabilem sententiam proponamus; resectis enim quae audacius dicuntur, sententiae ipsius vel vanitas, vel veritas manet.

Quare discedatur parumper ab ista invidiosa scurrae comparatione, ac Muretiani judicii vis dumtaxat, et voluntas attendatur. Enimvero nihil aliud declarare Muretus voluit, nisi se ab eo Hispano longe dissentire, qui gentilitiae gloriae, quam veritatis studiosior, Martialem Catullo censebat praeponendum. Cujus dissensionis caussam esse, quod in altero ea ipsa vitia animadverteret, quae Hispanis propria erant, et una cum iis in Italiam migraverant: dicacitatem scilicet ambitiosam, et acuminum affectationem (quae quidem, si verum quaerimus, quantum a scurrilitate absit, aut omnino quam non patiatur, poetam in scurriles jocos delabi, nescio), in altero eas virtutes agnosceret quae in antiquorum poetarum carminibus elucebant, quum peregrinum scribendi genus nondum latinam corruperat sanitatem.

Si igitur Mureti judicium hoc modo intelligatur, quid jam est, quod *insubide* potius, et *insane*, quam considerate, et perite dictum videri possit? Quod si hoc

ipsum te mordet, quod Martialem a Catulli collatione repellat, miror qua confidentia Lipsii omnino mentionem feceris, qui certe reus apud te eodem crimine esse debet; quamquam ne Turnebus quidem usquam contrarium defendit. Etiam Vincentius Gravina, ille non magis jurisprudentiae, quam poeticae ocellus, in eadem cum istis, quod ad scurrae comparationem attinet, fuit opinione. Itaque in primo duorum Librorum, quos *de Ratione Poetica* scripsit, quod sentiebat aperte professus est. Idem tamen tantum abest, ut Martialem Catullo vel praetulerit, vel aequaverit, ut nemo ab isto errore fuerit alienior. Sed ipsum copiose de hac re disputantem audiamus: sic enim totus locus est a me latine conversus (*lib. I cap. XXVII.*):

» Quanto in honore Catullus fuerit, vel ex hoc in- » telligi potest, quod a Cicerone et laudibus ornatus, et » patrocinio sit defensus. Nec vero in epigrammate » solum, atque Hendecasyllabis, sed etiam in Herois, » quantum valeret, ostendit, et quantum gloriae hoc in » genere assequi potuisset, si aut ipse versatus in eo » esset diutius, aut temporum injuria reliqua illius seri- » pta nobis non eripuisset, in quibus credendum est » cum Josepho Scaligero, alia quaedam Heroica fuisse » carmina, praeter illud de Nuptiis Pelei et Thetidis, » aliasque Elegias. Tamen ex his quae supersunt, per- » spicitur, quam habili ad omne stili genus, quamque » in eo, quodcumque susciperet, felici esset ingenio. » Itaque nemo extitit, ne ex ejus quidem obtrectatoribus, » qui purae Latinitatis laudem ipsi detrahere conten- » derit.

» Nam qui in epigrammatis lepore, totoque jocandi

» genere plus Martiale, quam Catullo delectatur, is
» ostendit, Mureti quidem judicio, se scurrae dicacitate
» plus capi, quam ingenui hominis urbanitate. Ego
» etsi Mureto minime assentior tam aperte Martialem
» contemnenti, apud quem multa reperio festive scripta;
» tamen ab ipsius Martialis prudenti judicio discedere
» non audeo, qui ut magnam caeteris injuriam fecit,
» quod se iis parem posuit, ita admodum aequus Catullo
» fuit, quum eum sibi praetulit his versibus, quos ad
» Marcum scripsit:

Nec multos mihi praeferas poetas,
Uno sed tibi sim minor Catullo.

» In Catullo joci e re ipsa nascuntur, dicendique nativa,
» ac germana est venustas; neque ex argutiis de industria
» quaesitis, sed ex concinna eorum, quos irridet, morum
» descriptione, et sub aspectum subjectione omnis existit
» urbanitas. Ex hoc genere ille est jocus in Egnatium,
» qui quod candidos haberet dentes, usque adeo sibi
» placebat, ut ostentandi eos gratia, usquequaque reni-
» deret, etiam si in luctum orbatae filio matris incidisset.
» Omnino hic poeta leniter animos afficit occulto nar-
» rationis dumtaxat artificio, nihil ut suum addere prae-
» terea videatur. Quam scribendi rationem qui experitur,
» cum difficultatem ejus deprehendit, tum intelligit, per-
» facile esse argutias consectari, quae tantam habent in-
» genii speciem, quaeque perstringunt citius, quam per-
» movent. Hic autem ita versari in affectibus solet, ut
» ejus mens spirare in scriptis videatur: velut in illo,
» quod incipit:

Miser Catulle, desinas ineptire,

» et in Elegia, quam in obitu fratris scripsit. Numerus

» quidem, quo utitur, pariter cum re natus, eique in » naturam videtur conversus. Nihil dico de ipsius in » rebus amatoriis festivitate, qualia sunt illa de Passere, » et Carmina Nuptialia; neque enim habeo, quod addam » gravissimorum auctorum judicio. Virtutis ejus hoc satis » erit testimonium, quod Josephus Scaliger eo praeter » modum delectabatur: cujus etiam emendationibus in » pristinam lucem est restitutus.

XXV. Age nunc: etsi neget Gravina, se Mureto assentiri tam aperte Martialem contemnenti, in eo tamen, in quo judicii vis ipsa, et summa est posita, nonne cum illo plane facit; atque adeo quae ille ad istorum poetarum dissimilitudinem indicandam velut tetigit, nonne accurate hic explicat, atque evolvit? nonne hujus sententia, quum alio modo enuntietur, ac verbis differat (nihil hic enim non leniter dicitur), re tamen cum Mureti oratione consentit, quum utraque evincat, indignum esse Martialem, qui Catullo aequiparetur? Equidem sic statuo, istum Gravinae locum optimam et aequissimam Muretiani scripti interpretationem habere, quam omnes sequantur, qui a caussae expositione caussam ipsam utique secernunt, neque unius, aut alterius verbi libertatem totius sententiae veritati obesse volunt.

Quare Lipsium et Turnebum (ac de Lipsio quidem manifesta res est) haud aliter Mureti orationem accepisse oportuit; et reprehendisse quidem ex ea parte, quatenus paullo acerbius dictum contineret, non autem ex ea, quatenus concluderet, Martialem Catullo esse inferiorem. Caeterum quum in animum inducere non possim, ea, quae superius attuli, Ludovici Vivesii verba tibi nota non fuisse (nihil enim de Pontano dicam), miror, omnia

reprehensionis tela in unum Muretum abs te esse conversa; nisi vero hujus maxime auctoritatem impedimento tibi esse putas, quo minus id, quod cupis persuadeas; ob eamque caussam ipsum oppugnare studes potissimum. Quis enim alioqui hunc Gallum, quod Martialem scurrilitatis arguerit (si quidem censura haec est iniqua appellanda), venia dignissimum non arbitretur, quum Vivesius ipse, homo Hispanus, judex etiam et tuo, et caeterorum doctorum judicio peridoneus, contra id quod suorum, et gloriae amor hortabatur, tale aliquid suis libris inserere non dubitarit?

XXVI. Hoc loco tu negas, quae ex Giraldo afferat Tiraboschius, te movere; *ut enim scriptum reliquit Julius Caesar Scaliger, nemo pejus de poetis judicavit, quam qui de eorum vitis scripsit.* Quod quidem dictum oraculi alicujus, non hominis, videtur: ita praecise, et confidenter dicitur; quam vere tamen dicatur, nescio: praesertim quum ille, qui dicit, ob difficile atque asperum ingenium, quo multorum aequalium scripta, ut se excerperet, atque insigniretur, quo jure quaque injuria vituperavit; merito possit esse suspectus. Ipsa autem Giraldi verba, quorum sententiam brevius expressit Tiraboschius, haec sunt: *Non certe Martialis omnia epigrammata, nec plurima quidem, video doctis placere. Ego utique si per doctiorum veniam mihi liceret (sed tamen quid vetat me nunc vobiscum, quod sentio, dicere?) ego, inquam, ex toto ejus libro quaedam, nec plurima seligerem bonorum digna lectione, quibus libellum non mehercule maximum conficerem: reliqua, quod et ipse ait, scombris et siluris involuera relinquerem.* Quod ergo dixit, reliqua, hoc est, mala epigrammata se traditurum salsamentariis,

nullam fecisset ille quidem Martiali injuriam, quum scriptum quodlibet, si malum sit, ea ipsa re tali poena sit dignum; sed quoniam nullum est, ut Plinius ille major ajebat, tam malum scriptum, ut non aliqua ex parte prosit, saltem quod attinet ad eruditionem, ut in Martiale usu venit; ita hujusmodi consilium hoc quidem nomine probari non potuit, tamquam rei publicae literariae parum utile. Quod intelligens ipse Giraldus, illa praefatus est; *si per doctiorum veniam mihi liceret.*

Caeterum illud advertas velim, hunc locum a Tiraboschio laudatum esse, non tam ut Giraldi consilium referret, quam ut ejus testimonio, id, quod ante dixerat, confirmaret, fuisse videlicet Martialem parvo in pretio apud Italos superiori aetate. Historicum enim agit Giraldus, quum dicit: *Non certe Martialis omnia epigrammata, nec plurima quidem video doctis placere.* Tu autem perinde respondes, ac si pro judice potissimum appelletur. Sed fac, etiam pro judice appellari: ex eo, quod quaedam, nec plurima, selecturum se dicit, reliqua ad amiciendos scombros amandaturum, quid, quaeso colligitur? scilicet pauca in Martiale bona eum agnoscere. Atqui hic fuit illa aetate doctorum sensus. Ut igitur concedamus, Giraldum alias male judicasse, quod tum fortasse acciderit, quum proprio confisus acumine, quanti ille, aut ille poeta faciendus esset, solus statuere, vel etiam communi opinioni adversari, voluerit; hac certe in re Scaligerianum dictum valere nihil potest, siquidem ejusmodi est ejus judicium, ut cum Literatorum, quos tum habebat Italia ferre omnium judicio praeclare consentiat. Sed quoquomodo ista Giraldi oratio accipiatur,

parvi enim refert; hoc interea nobis satis est, Tiraboschium assequutum esse id, quod caput erat, ut Martialem saeculo XVI. apud Italos haud magno in pretio fuisse, non historici cujuslibet, sed illorum temporum aequalis, et incorrupti Testis auctoritate comprobaret.

Nam quod attinet ad dictum illud, *Martialis Epigrammata placere non posse, nisi asinis,* duo equidem sum admiratus. Primum quod mireris, id abs Tiraboschio praetermissum esse, caussamque investiges. An alia, obsecro, esse potuit, nisi quod tale dictum inurbanius duriusque existimaverit, ab historiae lenitate abhorrens, neque eruditae quaestioni aptum? Deinde quod non constet inter auctores, quum tamen Giraldi liber in medio sit, ipse ne hoc dixerit, an alius. Profecto quisquis dixit, neque moderate, neque festive dixit; sed ego in Giraldo nihil tale reperire potui. Atqui *hodie*, inquis, *plerique huic tribuunt.* Nempe ergo diversa olim fuit opinio? Scilicet alia quadam separata ad id expediendum quaestione opus erit, quam illis equidem libenter relinquo, qui bonas horas male volent collocare.

XXVII. Sed tu, qui praeter Barbadignum nescio quem, et Popeblundium, Xaverium Quadrium in hanc rem laudas, advertistine animum, quid hic ipse de Martiale et sentiat et scribat? Etenim in magni illius operis, quod *de Historia, et Ratione cujusque Poesis* confecit, volumine II. l. II. c. V. sect. III. particul. VI. haec habet: » Argutiarum amor, et acuminum in oratione » affectatio jam a Tiberii et Caligulae aetate in sinceri » judicii, quod sub Augusto fuerat, locum successerant. Quod vitium quotidie magis invaluit; et » Martialis utroque pede in id incurrit, sic, ut de ejus

» epigrammatibus merito versus ille usurpetur, cujus » ipse est auctor:

Sunt bona, sunt quaedam mediocria, sunt mala plura; » majorem partem mala sunt: sunt tamen et bona ". Verum paullo fusius de eodem poeta loquitur in eo ipso loco, ubi dictum Giraldo attributum commemorat, *imperitis* quidem pro *asinis* molliori appellatione scribens. Ita ergo post laudatos in epigrammate Graecos ibi disserit (*Volumine II. l. II. sect. III. c. V. Particul. IV.*):

» Inter Latinos eximius Graecorum imitator Catul- » lus fuit, quippe qui satis habuit animi motus nativa » quadam elegantia, munditiaque, et facili, non elabo- » rato pede ad vivum exprimere. Nec vero ante hunc » poetam Romani ea laude caruerant, ut epigrammata » ostendunt Valerii, Aeditui, Portii, et Quinti Catulo- » rum. Sed post Augusti aetatem exortus est Martialis, » qui, ut Giraldus, Pontanus, et Vossius scripserunt » (*Gir. de Poet. Dial., Pont. L. III. de Serm. C. XVIII. Voss. L. III. C. XX.*) argutam peregrinitatem Hispani- » cam in Latium infudit. Etenim ad sententiosum di- » ctionis genus natura propensus, quod quidem illi » genti peculiare esse, Annaeae familiae exemplo vide- » mus, id egit, ut acutis dictis subitas in legentibus » admirationes excitaret, Romana antiqua simplicitate » relicta. Quid tum autem? nihilominus, ut haec ita » sint, ait Rapinius, Observ. Poet. XXXI, optimi rerum » aestimatores Martialis rationi Catulli rationem ante- » ponunt, quippe quum verae venustatis plus in hoc sit, » quam in illo. Omnino quibus prudens judicium fuit, » bona in Martiale admodum pauca repererunt; scripto- » res autem bene multi (*Barth. Ricc.* de Imit. ad Alph.

» Atest., *Bened. Varchius* in Hercul., *Udien. Nisiel.* Pro-
» gymn. *etc.)*, si nonnulla epigrammata exciperentur,
» reliqna vix digna esse censnerunt, quae legerentur".

XXVIII. Attamen tu quoque Literatos non paucos recenses, quamquam non omnes XVI saeculi, qnorum consensu Martialis celebretur. Ad quod vide, quaeso, quam facile respondeam. Hos enim omnes ad tria genera revoco, eornm qni emunctae naris, sincerique judicii semper sint habiti; eorum, qui ut magna caeteroqui doctrina fuerint, in amoenioribus literis vero gustu caruerint; et eorum, qui ipsi boni epigrammatum anctores extiterint. A primis ut incipiam, si locos, ubi de Martiale ex professo agunt, attente considerabimus, reperiemus profecto, landare quidem illos Martialem, sed laudare enm exceptione, vel potius ita de eo sentire, ut quaedam belle et scite scripsisse affirment, omnia tamen, aut pleraque negent. Excipio semper, si quis etiam maxime intelligens, cupiditate aliqua ad secus judicandum ducatur. Ad secundos quod attinet, quorum familiam ducunt Lipsius, Grotius, Farnabius, Morhoffius: quidquid tales homines in hac caussa dicant, parvi est faciendum. Tertium genus est eorum, qui ipsi bona epigrammata fecerint. Qua de re tota quum satis multa principio dixerim, parcam taedio tuo, neqne hoc loco eadem iterabo; quin potius illud consulto praeteritum revocabo, quod dicis, saeculo XV, e Martialis maxime libris Perotti, Calderini, Casanovae, et similium opera, et gustum in literis, et linguae Latinae delicias esse renovatas.

Quod enim ad gustum attinet, si auctorem qnempiam male corruptum verae lectioni restituere, et grammaticorum more explanare, id est ex ejus libris literarum

gustum inducere; fateor hoc fecisse Perottum, non tamen ex unius Martialis poematibus, quorum primum modo librum emendavit, atque ita exposuit, ut poeticum artificium fere negligens, vel certe leviter tangens, in persequendis verborum notationibus, significationibus, et id genus aliis Prisciani subtilitatem superarit; sed ex aliorum quoque poetarum scriptis, quippe qui totum spectaculorum librum, quod multorum esse opus eruditi consentiunt, eadem prorsus ratione enarraverit. Calderino autem et ipsi Grammatico nihilo plus profecto Martialis debet, quam Tullius, Ovidius, Juvenalis, Statius, Silius, Svetonius, ex quibus ille omnibus obscurissima quaeque promiscue illustrare conatus est. Nam de Casanova quidem jam diximus. De caeteris, praesertim tantum Grammaticis, non video, cur dicendum sit potius, eos e Martialis maxime libris gustum in literis renovasse, quam quosdam ejus locos, ut et reliquorum auctorum quoquo modo, et plane ut illa ferebant tempora, interpretatos esse.

Quamquam, ne quid dissimulem, occupaverat sane illa aetate complurium animos haec opinio, multo uberiorem doctrinam, multoque majorem vim, venustatemque, et dignitatem in posteriorum saeculorum auctoribus inesse, quam in aureis; quod scilicet illorum fucato, ac fallaci splendore obcoecati, horum simplicitatem, ut sunt vicina virtutibus vitia, pro lentitudine, ac languore habebant. Itaque non negaverim profecto, et illos qui grammaticam modo artem profitebantur, in hujusmodi scriptoribus explanandis, in quibus et Martialis tuus est, majore cura versatos esse; et illos, qui scribendis quoque orationibus, ac poematibus dabant operam, qui

demum revera literarum gustum induxisse dicendi sunt, talium auctorum stilum sibi in exemplum proponere consuevisse. Loquitur de hac re Muretus ipse in Oratione XV. vol. II. his verbis: *Patrum, et avorum nostrorum memoria, qui se eruditos perhiberi volebant, optimis quibusque auctoribus, tamquam pervulgatis, et nihil abditum, ac retrusum continentibus, valere jussis, in aliis quibusdam obscurioribus, minusque tritis suam omnem industriam collocabant. Itaque eorum plerisque saepius in manibus erat Apulejus, aut Sidonius, quam Cicero; Persium, quam Horatium; Lucanum, aut Claudianum, quam Virgilium, libentius et majore cum studio pervolutabant.* Ubi advertendum, *plerisque*, non *omnibus* dicere Muretum; nulla enim revera fuit tam corrupta aetas, in qua non aliquis sanus auctor extiterit; qualis nimirum eo saeculo aliqua ex parte fuit Politianus; aliqua ex parte, inquam, multa enim latina ejus poemata elegantium hominum censuram effugere non potuerunt. Nam, ut scribit Menckenius in ejus vita, Julius Scaliger judicavit, *ipsam illius ingenii luxuriantis abundantiam in caussa fuisse, ut optima quaeque veterum poetarum versu exprimere, ac permiscere inter se laborans, elegantiam sermonis parum curaret, et a veteris castitate Latii deflecteret*. Ipse vero Menckenius narrat, *eum etsi in plurimis aliis id maxime cavit, ne quid inelegans, et sordidum lectorum animos offenderet, in epigrammate tamen non adeo temperare sibi potuisse a petulantia ingenii, ut non insperserit interdum, quae absque stomachi fastidio legere vix possis.* Sed ad Muretum redeamus. Is ergo rursus in Epistola XIII. l. III. *Possum*, inquit, *nominare nonnullos qui abhinc LX. fere vixere annos*

(ipse autem scribebat anno MDLVI.) *quorum poematia, orationes, epistolas, quum propter perversum, et inepta affectatione corruptum loquendi genus, quod aetas illa extulerat, sine risu hodie nemo legat; eorundem tamen scripta quaedam, quibus lux aliqua vetustis scriptoribus afferatur, omnibus vigent.* Quid igitur? induxerunt quidem illius aetatis poetae, atque oratores, e Persii, Lucani, ac similium maxime libris gustum literarum; at quem, obsecro, gustum? perversum scilicet quemdam, et ineptum, ac sanis nepotibus ludibrium debiturum. Etenim, ut ait idem Muretus, *animadvertit hunc errorem insequens aetas, et Bembi, Sadoleti, ac similium et exemplo et auctoritate, ad vetustiorum lectionem, imitationemque revocata est.*

Ad linguam latinam quod spectat, ad cujus renovationem Martialis maxime libros profuisse scribis, nae mihi supervacua videtur ista defensio; quum enim ille, non florente quidem, sed tamen stante romana lingua, sua poemata scripserit, nihil mirum, si ab iis, qui saeculo XV. eandem linguam revocare ad pristinam vitam, et dignitatem conabantur, omnes ejus dictiones, omnia verba collecta, et in commentarios, relata fuerint. Ex quo profecto tantum abest, ut colligi possit, eum bonum poetam fuisse (haec enim nunc quaestio agitur), ut ne sequatur quidem, scriptorem fuisse elegantem. Quid enim? nonne et Caecilii et Pacuvii, quae supersunt, ut ad prima latinorum tempora recurram, in vocum commentariis diligenter sunt inserta, quum Tullius aperte dixerit, utrumque esse malum latinitatis auctorem? ut autem ad extrema descendam, nonne ex Sidoniis quoque et Venantiis plurima excerpta esse videmus, quos

tamen licet Latini sermonis pestes appellare? Num igitur tales auctores suae potius elegantiae, quae nulla est, acceptum referre debent, quod tantus sibi habitus sit honor, quam usui et fortunae, quae ipsorum aetates in ea tempora conjecerit, quibus latina lingua etiam ore usurpabatur? Ego tamen hoc in genere nihil de Martialis tui laude detractum volo: sit sane latinus; tantum dixi, non idcirco, quia ejus libri magnam vocabulorum et loquutionum copiam Calderinis, Perottis, Calepinis, caeterisque latinitatem excitantibus praebuerint, effici, vel ut bona carmina scripserit, vel ut scripserit bene.

XXIX. Caeterum quod addis, *eum, qui Auctores XV saeculi attente legerit, facile intellecturum, latinae linguae, quam hodie quidem habemus, parentem, si non unicum, certe praecipuum esse Martialem*, enimvero id concoquere non possum. Quum enim ex iis, quae superius dixisti, perspicuum fiat, horum verborum sensum esse, eos, qui XV. saeculo ad linguam latinam restituendam incubuerunt, Martiale, si non unice, certe praecipue usos esse; tantum abest, ut defendere id possis, ut etiam res ipsa palam refellat.

Habuit tunc Martialis enarratores suos: et quidem suos Catullus, Propertius, Tibullus, Virgilius, Horatius, Ovidius, ne caeteros, cum poetas tum historicos et oratores enumerem, in quos ejus aetatis docti homines certatim commentaria scripserunt. Etsi Perottus ipse in eo libro, quem linguae latinae Commentarios inscripsit, utrum tibi facere videtur, totam ne Latinitatem e Martiale quodammodo haurire, an potius post explicata ejus verba, continuo evagari, et ex omnibus romanae linguae

auctoribus vocabula, dictiones, sententias, fabulas, historias congerere, exponere, illustrare, sic, ut quae ad Martialem proprie pertinent, minimam libri partem conficiant? Calderini vero, Cyllenii, Merulae, Poggii, Fusci, Regii, Vallae, Barbari, Parthenii, Marsi, Avantii, et hujusmodi caeteri, num praecipue in Martialem labores, curasque suas contulerunt? an non potius, quantum in ipsis fuit, operam dederunt, ut cum obscurissimi, tum optimi quippe scriptores in manus hominum quam emendatissimi, ornatissimique pervenirent, quo faciliorem in dies, perfectioremque haberet romana linguа cognitionem?

Nam de Ambrosio Calepino testatur ipse Facciolatus, eum primas sui operis adumbrationes, non ex Perotto tantum, sed ex Varrone, Festo, Papia, Nestore, Tortellioque duxisse: et praeterea qui tale opus in manum sumat, hebetiori acie sit, oportet, nisi videat, ex omnium Latinorum scriptis id esse conflatum, ac nihilo crebrius Martialis, quam Plauti, Terentii, Tullii, Virgilii, Livii, ac similium, quorum tot ac tam magna volumina vetustatem pertulerunt, in eo verba occurrere.

XXX. Quamquam fingamus ex abundanti, ita esse, ut tu scribis: quaero, num re ipsa Martialis pro Auctore latinitatem revocare volentibus omnium maxime accommodato haberi debuerit; ac non potius ad optimos aureae aetatis auctores fuerit confugiendum, planeque initium ab iis ducendum, sic, ut Martialis, quique post eos scripserunt, eo tantum reservarentur, ubi aurei saeculi auctoritas non suppeteret? Hic enimvero quicumque communi sensu non plane caret, respondeat, necesse est, utique hanc alteram viam, atque rationem tenendam

fuisse. Hoc igitur posito, qui Martiale praecipue usi sunt, vel sua sponte id fecerunt, vel necessario, quatenus scilicet auctoribus Martiale ipso longe praestantioribus, et ad praesens consilium magis aptis carebant. Si sua sponte, ac voluntate fecerunt, ex eo principio, quod posuimus, liquet illos perverse egisse.

Attamen quia utile erat latinam linguam excitari, quacumque hoc tandem ratione fieret, certe inde sequitur, magnam iis, quorum opera id est effectum, habendam esse gratiam, quamvis rectam viam non institerint; ac Martialem praecipuum ejus incepti instrumentum existimandum Verum si idem minime necessarium ad eam rem instrumentum erat, atque adeo omitti debebat, aut certe dumtaxat succenturiari; quis non intelligit, nullam propriam esse hac in re Martialis laudem, ac vel iis, qui latinitatem revocarunt, non parum detrahere hoc ipsum, quod Martialem aliis auctoribus praeposuerint? Si autem isti latinitatis restitutores Martialis libris unice, aut praecipue usi sunt necessario, quod hic potius, quam tot alii eo meliores auctores, in ipsorum manus forte pervenit; consequitur denuo, ut agendae fortunae sint gratiae, quae veterum scriptorum unum aliquem potius, quam neminem, strenuis illis hominibus obtulerit, utque Martialis pro praecipuo renascentis latinitatis instrumento sit habendus. Verum illud nihilominus manet, ipsum ad hoc opus instrumentum fuisse nequaquam necessarium, quum utique accidere potuerit, ut alii auctores in lucem proferrentur; propterea veram, et propriam laudem ad eum nullam pervenire, hanc fortunae esse totam, sed tamen ob id ipsum minorem fieri, quia Martialem illa citius quam

tot alios multo praestantiores, e latebris eruerit. Primum igitur ostendi, falsum esse quod dicis, talem auctorem saeculo XV. praecipuum latinitatis parentem, si non unicum, fuisse; deinde probavi, etiam si id tibi concedatur, nihil te tamen ad ejus gloriam posse inde colligere.

XXXI. Atque haec quidem extra caussam a me sunt disputata; illa proprie ad rem pertinent, quae abs te perorationis loco ponuntur. Inflammatus enim caetera oratione, postremo ad istam Tiraboschii animadversionem oppugnandam accedis; et *Ait*, inquis, *Tiraboschius, observasse se, poetam nostrum iis saeculis, quibus gustus in literis maxime fuerit incorruptus, nullo in pretio fuisse; contra vero in illis, in quibus corruptissimus, summo fuisse in honore. Sic saeculo XVI. prorsus jacuisse; saeculo autem XVII. omnibus in deliciis fuisse; nostro denique saeculo ita despectui haberi, ut si quis cum hoc auctore deprehenderetur, valde erubesceret. O animadversionem ridiculam! Erubescerem ego quidem, si in hac litterarum luce tam futilis ineptia mihi vel stertenti excidisset.* Itane vero? quid tandem in ea est, quod tantopere dignum reprehensione videatur? *Tria*, inquis, *continet, peraeque falsa omnia.* Ac primum quidem tu negas, *saeculo XVI. despectum Martialem fuisse, ut superius*, inquis, *ostendimus.*

Sed aliud est profecto contemni atque despici, aliud non magno in pretio haberi. Revoca, quaeso, in memoriam quae initio dixi, ubi te admonui, Tiraboschii verba, si, ut par est, religiose vertantur, nihil aliud declarare, nisi *Martialem saeculo XVI. parvo in pretio in Italia esse habitum*, non autem, ut tu interpretaris, *prorsus jacuisse.* Prorsus enim jacent auctores ii, quorum in

libris omnia sunt corrupta et vitiosa; parvo autem in pretio habentur ii, quorum sunt quidem mala pleraque, sed tamen bona, et praeclare quaedam admiscentur. Oportet igitur, ut alterum ab altero dividas ac secernas. Nos concedimus tibi, immo ultro, si vis, profitemur, poetam tuum eo saeculo despectum non fuisse; at iidem negamus, magno, ac singulari in honore esse habitum. Despectus fuisset, si nemo quidquam ab eo sumere (de exquisiti judicii hominibus loquor), nemo eum illustrare, nemo legere, aut inspicere dignatus esset. Magno ac singulari in honore fuisset habitus, si omnes eum in caelum ferre, omnes in epigrammate Catullo aequare, aut praeponere, omnes manibus terere, ediscere, sibique ad imitandum proponere consuevissent.

Si idcirco igitur tantopere contendis, ut nobis persuadeas, Martialem XVI. saeculo despectum non fuisse, parcere tu quidem ea caussa labori poteras, ita enim et antea sentiebamus; sin autem evincere studes, eum magno in pretio fuisse, frustra es omnino, tales enim rationes in contrariam partem retulimus, ut in eamdem libram cum tuis impositae, multum sine dubio praeponderent; et praeterea si caeteris argumentis pares simus, profecto vel unum Giraldi testimonium facit, ut superiores evadamus; ex hoc enim et optimae fidei et illorum temporum aequali et ab omni cupiditate integro historico intelligimus, *nec omnia, nec plurima poetae tui epigrammata ejus aetatis doctis placuisse.* Tantundem aba te certe pro Martiale non est allatum.

XXXII. Secundo loco quia negare non potes, hunc poetam saeculo XVII. summo in pretio esse habitum, huc confugis, ut neges, id saeculum clarissimis criticis

et poetis caruisse, in Gallia praesertim et Batavia. Quid hinc tandem colligere postulas? non enim ad Galliam, Bataviamque, sed ad unam Italiam omnis Tiraboschii refertur oratio. In hac ille dicit, quo tempore sententiolae et argutiae regnum possidebant, sic, ut nemo, nisi harum nugarum perfectus artifex esset, bonus poeta haberetur, Martialem summas tenuisse. Quod nisi et ita esse scires, et vero Martialis famae, vehementer obesse intelligeres (tales enim quisque invenit amatores qualis est ipse) nunquam tam cupide effugeres, et externos criticos ac poetas objiceres.

At isti profecto si Hispanum tuum per omnia probandum, imitandumque censuerunt, ipsi quoque male judicasse dicendi sunt, et eodem, quo tunc Itali, errore laborasse. Quod si in Italia fuerunt, qui vel in judicando, vel in faciendis carminibus integros se a communi perversitate servarent (quod eo dico, quia tu non dixisti, *saeculum XVII. claris poetis et criticis in Gallia et Batavia non caruisse*, sed *in Gallia praesertim, et Batavia*, ut non plane Italiam excludere videaris, sed effugere) hi certe Martialem nec laudasse sine exceptione, nec sequuti esse, nisi in paucis, reperientur.

Tu tamen Gallis et Batavis adhaeres, et ex illis Vavassorem, ex his Grotium opponis. Sed Vavassoris quidem verba nihil continent eorum, quae a nobis refutantur, immo sanam et probabilem habent sententiam; quando enim negavimus, Martialis libros *ad eruditionem* (ut ipsius critici verbis utar) *et copiam Latini poeticique sermonis esse perutiles?* Itaque si ii, de quibus scribit Vavassor, ob hanc caussam tali poeta delectabantur, atque ille ipse ad ejus lectionem accessit, praeclare ab

utrisque factum existimo. Sin ea persuasio revera horum animos occupaverat, Martialem omnium optimum, et absolutissimum epigrammatis scriptorem esse (quod quidem ex allato loco nequaquam colligitur) tum ab utrisque scilicet est erratum.

Ad Grotium autem quod attinet, video equidem, hujus verba perspicue tibi favere, et mehercule expavescerem, si de aliqua lege, aut de jure quopiam esset inter nos controversia. Hoc enim in genere jam pridem a doctissimis statutum est, nihil eo homine fieri potuisse divinius. Sed bene, quod poetica nunc agitur quaestio: idonei judicis personam hac in re gerere Grotius non potest. In quo adeo deprehendere licet Virgiliani illius dicti veritatem: *non omnia possumus omnes.* Qui enim in maximis et gravissimis rebus eo usque progressus est, ut novam quandam earum scientiam condiderit, iis in eloquentia et poesi, quam quidem ab ineunte aetate attigerat, a corruptiori genere non discessit, certe verum gustum non habuit. Hoc satis declarant, quae passim in libris leguntur ejus carmina, quae nec suavitate ulla, nec nitore commendantur, et, quod gravius est, pravam illam acutularum conclusionum affectationem prae se ferunt.

XXXIII. Tertio, eodemque postremo loco verba illa Tiraboschii refellere conaris: » Sano renascente gustu, » iterum Martialis cecidit; et vero ego arbitror, futurum, » ut nostrae aetatis poeta, si cum hoc auctore depre- » henderetur, erubesceret ". *Ac ne nostrum quidem* (inquis) *saeculum a Martialis lectione, et gustu sic abhorret, ut Tiraboschio videtur. Daniel Morhoffius, Thomas Popeblundius, Dominicus Decolonia, Josephus Juventius*

vix ulli superiorum aetatum in laudando hoc poeta concedunt. Et quidem Morhoffius, quod alii ante ipsum fecerant, non veretur illum in arte epigrammatis Catullo anteferre. Juventius etiam politissimas in eum notas scripsit, in quibus et nitor, et elegantia, et brevitas, et perspicuitas de palma inter se mihi videntur certare. Putasne, futurum, ut erubesceret Juventius, si cum suo Martiale esset deprehensus? Atqui omnibus ad hoc tempus persuasum fuit, Morhoffium et Popeplundium praeterito saeculo esse mortuos; tu autem contra in nostrum hoc saeculum includis, in quo quid sequaris, ipse videris.

Illud interea ex te quaero, quousque tandem externorum hominum, non Italorum, de quibus dumtaxat agitur, testimonia objicere cogites. Depone paullisper cupiditatem, dimitte studium et contentionem, vere et ex animo loquere: fatere, non judicio id tuo, nec voluntate, sed necessitate coactum facere, propterea quod ex Italis, qui quidem superiori, et nostro saeculo elegantis doctrinae laudem tulerint, neminem invenias, qui non cum exceptione Martialem laudet; e Germanis vero, e Belgis, uno verbo, ex alienis non paucos ejus admiratores reperias, quum talium gentium in Latina eloquentia, et poesi non perinde religiosae unquam aures fuerint, nec ita rectum, sincerumque judicium.

Non vides igitur, non intelligis, tuam te caussam labefactare, ne dicam perdere, et Tiraboschii verba, dum refellere cupis, hoc ipso quia externos testes et laudatores usque colligis, imprudentem confirmare? Verum ad rem veniamus.

Quae sit hoc loco tribuenda Popeblundio auctoritas, non video, quum is praeterquamquod nec ad Italiam,

nec ad XVIII. saeculum pertinet, ne id quidem propositum habeat in sua illa Scriptorum Censura, ut accurate de quoque auctore ex persona sua disserat, sed aliorum tantum sententias, et quidem in utramque partem laborioso verius, quam ingenioso opere in unum colligat, digeratque. Multo tamen magis sum admiratus, quid tibi in mentem venerit, Morhoffium testem citare. Nam Germani quidem in universnm magni utique laboris, ingenii autem crassioris, et ad Latinam tum orationem, tum poesim inepti, minimeque elegantis judicii semper fuerunt. Verum iste cum caeteris Germanis comparatus, tantum eos barbarie profecto vincit, quantum ipsi lepore, et urbanitate ab Italis superantur. Nihil ejus prosa oratione inquinatius, nihil carmine pinguius, nec corruptius. Quid igitur aliud ab hujusmodi homine exspectandum erat, nisi ut *non vereretur* pro sua impudentia, quae semper inscitiae comes esse solet, *Martialem in arte epigrammatis Catullo anteferre?* quam quidem laudem nec ipse Martialis ex hujus ore audire vellet.

At enim: *idem alii antea fecerant.* An tu eo nnmero es, qui *quod exemplo fit*, ut ait Cicero, *id etiam jure fieri putant?* Sane hoc in re literaria vel saepissime locum habet, modo exemplum ab iis proficiscatur, quos in ea re, qua de agitur, magna intelligentia et optimo judicio fuisse constet. Fieri autem non potest ob ea, quae superius jam diximus, ut qui Martialem Catullo praetulerunt, tales in Latina poesi fuerint: horum igitur exemplum nihil valet. Praeterea, ut notavi, Morhoffius ad hoc saeculum non pertinet.

At pertinent Juventius, et Decolonia, caeterum Gallus uterque. Quid ergo? *vix ulli*, inquis, *superiorum*

aetatum in laudando Martiale isti concedunt. Nae isti, si corrupta aeque, ac sana promiscue laudant, nulli superiorum aetatum malo judici concedunt. Addis, *Juventium politissimas in hunc poetam notas scripsisse, in quibus et nitorem, et elegantiam, et brevitatem, et perspicuitatem de palma inter se tibi certare videri* dicis. Sed quorsum ista? aut quae laus inde ad Martialem redundat? et praeterea non unum Martialem, sed et Horatium, et Terentium, et Ovidium, et Juvenalem, et Persium Juventius illustravit; qui tamen in suis illis poeticis institutionibus, quantopere, Dii boni! visus est ineptiis delectari.

XXXIV. Nam quod me rogas, an putem, *futurum, ut hic erubesceret, si cum Martiale esset deprehensus*, ostendis, te non assequi Tiraboschiani dicti sententiam. Tiraboschius enim arbitrari se ait, futurum, non ut quilibet nostrae aetatis literatus, sed tantum ut poeta cum Martiale deprehensus erubesceret. Poeta enim, qui tali nomine revera dignus esset, si Martialem evolvens reperiretur, idcirco fortasse erubesceret, quia timeret, ne eum sibi auctorem, tamquam perfectum aliquod exemplar, ad imitandum proposuisse videretur. In caeteros autem doctos, et praesertim in eos, qui hujus scriptoris obscuros locos illustrant, quorum ex numero Juventius fuit, quo pacto pudor hic caderet? Hunc igitur sensum habent Tiraboschii verba, Latinos horum temporum poetas (ac memento, literariam non externarum gentium, sed Italiae historiam eum scribere) usque adeo a Martialis imitatione alienos esse, ut aliud plane genus, atque aliam formam sequantur.

Et sane optimo exemplo fuerunt in primis Lazzarinii,

Vulpii, Zanotti, Zampierii, Checotii, Burdegati, Robertii, qui ad elegantiam et urbanitatem, verumque salem in latino carmine adipiscendum, non aliis magistris usi sunt, quam Catullis, Tibullis, Horatiis, reliquisque eorum aequalibus. Hos sequuti sunt caeteri, quorum hodie nomina hoc in genere sunt illustria, qui itidem nihil antiquius habent, quam ut se totos ad aurei aevi poetarum similitudinem componant. Talium hominum politissimos versus, nec putida argutorum sensiculorum affectatione infuscatos, sed veterem illam simplicitatem, festivitatemque Romanam referentes, qui legerit, is fateri certe cogetur, Martialem nostro saeculo imitatoribus in Italia carere.

Nam si ad eos confugis, qui vel poeticae praecepta tradunt, vel criticos agunt, quem istorum e nostris reperies, qui quidem in pretio sit, qui Martialem, non dicam Catullo praeferat, aut aequiparet, nedum *Graecis, et Latinis, quotquot sunt, omnibus anteponat* (quod tu superius dixisti a quibusdam, nescio, an hominibus, factum), sed omnino incorruptum poetam judicent, et in quem epigrammata scripturi assidue intueri debeant? Omnium intelligentium Italorum una vox est, nonnulla quidem scite, atque urbane Marcum Valerium scripsisse, pleraque tamen frigide, putide, nimisque, ut ita dicam, ambitiose. Quae quum ita sint, cogita, quaeso, mi Serrane, quam merito Tiraboschii animadversionem *ridiculam et futilem ineptiam* appellaveris, ac *tria peraeque falsa omnia continere* affirmaveris.

Satis mihi videor respondisse literis tuis, in quas quidem veri simile est, firmissima quaeque pro Martiale argumenta ex tuo illo justo opere quod praelo paratum

habes, abs te esse translata. Quod si otio et literis abuti esset animus, singula Martialis epigrammata continuo aggrederer, tibique re ipsa ostenderem, eos, qui deteriorum in eo majorem esse numerum censent, et sapere, et ut ait Horatius, aequo Jove judicare. Sed illud commode accidit, quod nonnulla jam ex iis, quo loco de Sannazario actum est, ex occasione notavi atque excussi; inde enim aliquis veluti gustus hauriri potest, et conjectura de caeteris fieri. Nunc alia longe meliora, gravioraque sunt, in quibus ponendam mihi esse putem industriam et diligentiam meam. Te vero, mi optime ac praestantissime Serrane, etiam si ab opinione tua dissensero, tamen cum maximi semper faciam, tum unum ex omnibus plurimum amabo: etenim, ut in proverbio est,

Diversum sentire duos de rebus eisdem
Incolumi licuit semper amicitia.

Bene vale, meque in tuis habe, idque ut mihi declares, ad me per otium scribere ne intermitte. Vale iterum. Roboreti. V. Idus Aprilis. MDCCLXXVI.

COMMENTARIOLUM

IN SCENAM III. ACTUS I.

HEAUTONTIMORUMENU P. TERENTII

CLEMENTINUS VANNETTIUS

JOANNI BAPTISTAE GRASERIO

S. P. D.

Habes, Graseri doctissime, quod tibi promiseram Commentariolum in Terentiani Clitiphonis querelam adversus patrem. Id nuper ruri ut inchoarem, casu est factum, quum ex irato adolescente, quem pater severius adhibuerat, aliquid tale audissem. Statim enim hanc orationem recordanti mihi ejus explicandae consilium occurrit, quam praesertim ita ad naturam a peritissimo illo Comico, eodemque Philosopho compositam cernerem, nihil ut verius fingi posset. Quam ob rem dedi operam, non tam ut verba, quam ut sententias exponerem, quaeque in hac juvenilis impotentiae imagine paulo tectiora, et quasi reductiora essent, ea ut in primis proferrem, atque illustrarem. Quod quidem interpretandi genus ut rarissimum, sic utilissimum semper duxi. Et mehercule hanc quoque non minimam scribendi caussam habui, ut in eo mei periculum facerem. Ecquid autem effecerim, tu pro tuo acumine judicabis; nam ipse jam prodit adolescens, cujus ego sermonem placide interpellabo, ne iram omnem repente in me transferat. Vale. Roboreti IV. Cal. Januar. MDCCLXXII.

CLITIPHO.

Quam iniqui sunt patres in omneis adolescenteis judices.

Clitipho Chremetis ex Sostrata filius, qui esset ingenio admodum libero, atque amoris igniculis vexaretur, dissimulatam coram patre sententiam tandem expromit; et id quidem in primis agit, ut ex ipsius patris sui oratione patrum omnium iniquitatem ostendat. Sunt autem proprie *iniqui* ii patres, qui in filiorum vitam morosius inquirentes, quidquid hi faciunt, severe condemnant, quid ipsi aliquando fecerint, non considerant. Est enim aetatis maxime habenda ratio, et ideo plus intulit Clitipho quum dixit *adolescenteis*, quam si dixisset *filios*; callidissima quippe inest in ipsa voce excusatio, quaeque perversum patrum judicium arguat,

Qui aequum esse censent, nos jam a pueris illico nasci senes.

His autem verbis apertius docet, cur patres iniquitatis insimulet; illud enim ex hoc inepto, atque absurdo judicio consequi facit, quod iidem non solum requirant, verum etiam (id quod nullo modo ferendum sit) aequum existiment, ut filii jam inde ab adolescentia graviter, constanterque se gerant, ac prope adhuc crepundia gestantes natu majorum aequent sapientiam; non ut Demaenetus ille apud Plautum Argyrippi pater, qui haec a filio adeo non postulabat, ut amanti etiam obsequi, et argenti copiam facere, si per uxorem liceret, vehementer

caperet; cujus stultissimam cum Libano servo collocutionem jure insectatur Muretus libro VII. capite IV. Variarum Lectionum. Ceterum nihil illo dicto ingeniosius: *nos jam a pueris illico nasci senes;* nam et hyperbole bella est, atque irato conveniens, et per aetatis vocabula aetatum varii mores apte exprimuntur. Porro, inquit, non solum sui dissimiles non esse nolunt, sed

Neque illarum affines esse rerum, quas fert adolescentia.

Quod demum gravissime offendit animum Clitiphonis, quippe quum ipsam pervertere videatur naturam. Nam quae studia juventutis propria sint, satis jam dixit Horatius in Epistola ad Pisones. Nunc igitur si ea e filiorum animis expellere conentur patres, ac pro iis alia inserere, quae senectuti magis conveniant; et naturae perturbent ordinem, quae sua cuique aetati studia providentissime tribuit, et filios ipsos in periculum adducant, ne quum senes in adolescentia fuerint, in senecta demum repuerascant, quaeque juvenes cum aliqua venia fecissent, eadem aliena aetate summo cum probro, atque dedecore faciant. Nam (ut optime advertit Tullius in Oratione, qua Marcum Coelium defendit) *voluptates, quae inclusae diutius, et prima aetate compressae, et constrictae fuerunt, subito se nonnunquam profundunt, atque ejiciunt universae.* Quod igitur Cato ajebat Censorius, se pueros odisse praecoci sapientia, quod ii ubi adoleverint plerumque hebescant, idem de pueris intempestivae severitatis dici potest, quod scilicet grandiores facti facillime in contrariam partem delabantur. Itaque patres, qui quidem aequi sint, debent sane juvenilem filiorum

cohibere licentiam, atque operam dare, ut moderate utantur aetatis flore; propriis vero illos oblectamentis prohibere, spoliareque insitis natura studiis omnino non debent. Namque huc respexit Clitipho, quum ait *rerum quas fert adolescentia*, hoc est, quae cum ipsa simul adveniunt, nec unquam ab ea disjunguntur, quemadmodum et suos quaeque tempestas fructus fert. Quid enim est magis juveni consentaneum, quam largitas, laetitia, amoenitas, amor? qui ergo juvenem parcum, tristem, aridum, asperum fingere postulant, ii sunt Clitiphonis sententia iniqui judices, qui

Ex sua libidine moderantur, nunc quae est,
non quae olim fuit.

Olim enim, quum et ipsi florenti aetate uterentur, aliter animum instituerant suum, seque voluptatibus duci facile patiebantur. Sed postquam senectus obrepsit, praeteritarum rerum obliti, non ad prioris vitae suavitatem, sed ad recentis disciplinae tristitiam liberos habent. Quod autem hic *libido* per contemptum dicitur, sane id perpetuum non est apud Latinos; aliter enim acceptam videmus ab Sallustio capite VII. Belli Catilinarii: *Jam primum juventus simul ac belli patiens erat, in castris per laborem usu militiam discebat: magisque in decoris armis, et militaribus equis, quam in scortis, atque conviviis libidinem habebat.* Hujusmodi ergo iniquitatem toto pectore aversatus Clitipho, pulcherrima orationis conversione pernegat, se pervulgatum istorum exemplum, quod tantopere accuset, unquam imitaturum; ait enim:

Mihi si unquam filius erit, nae ille facili
me utetur patre.

Quod quidem propositum juvenilem levitatem mire declarat futura non prospicientis, nec cogitantis, id ipsum a praesenti miseria proficisci. Subito enim abreptus aestu ita se cum filiis, si quos habebit, acturum pollicetur, quo modo nunc secum agere patrem cuperet, nam ex sua de aliena calamitate conjecturam facit. Ceterum non providet, fore, ut sedatis his turbis, et tranquillato ex amore animo, ubi quandam aetatis quasi maturitatem jam sit adeptus, paterque serio fuerit, aliter plane sentiat, et idem faciat, quod reliqui patres, ut *ex sua libidine, tunc quae erit, non quae olim fuit, moderetur.* Attamen videamus, istam, quam prae se fert, facilitatem, in quo potissimum collocet. Collocat autem in eo, ut cum peccantibus filiis lente, clementerque agat:

Nam (inquit) *et cognoscendi, et ignoscendi dabitur*
peccati locus.

Nec enim ita remissus erit, ut eis ad omnia vel gravissima conniveat, ac pudoris frena usquequaque relaxet;

Nam frustra vitium vitaveris illud,
Si te alio pravus detorseris . . . .

Quum igitur aequitatem suam invidia carere velit, non ille quidem filios ab his rebus, *quas fert adolescentia*, unquam abstrahet; sed si quid ab iis delinquetur, monitis, praeceptisque locum dabit, quod patris est; tum autem et veniae, quod lenis demum est patris. Nam qui erravit, errati primum magnitudinem, praesertim si cum

aliorum injuria, aut damno conjunctum sit, penitus intelligat oportet, quo et vehementius doleat, et se in cupiditatibus contineat diligentius: deinde sequitur, ut doloris, mutatique animi signum danti per facilem veniam poenae gratia fiat. Clitipho igitur filiorum peccata adolescentiae quidem condonabit, sed ita, si et ipse prius, qualia sint, exquisierit (id enim proprie indicat *cognoscendi* forense verbum), et vero filii cum eorum turpitudine, tum patris bonitate se se commotos ostenderint; magna enim profecto hujus vis est apud liberos, atque haud scio, an maxima, ideoque quum Terentius lenis patris personam in Micione exprimeret in ea Fabula, quae Adelphi inscribitur, dixit:

Pudore, et liberalitate liberos
Retinere, satius esse credo, quam metu.

Ex quo boni illud sequitur, ut filii ingenuo, veroque amore parentis devincti, aut rarius peccent dum illis placere se student, aut etiam si quando peccarint, dum id modesta quadam fiducia confitentur, admoneri, docerique et crebrius et utilius possint. Quod sane cernere licet in eadem Fabula, ubi idem Micio Æschinum filium, qui virginem pauperculam civem Atticam vitiarat, commentitia de Milesio quodam fabella eo sensim adducit, ut flens, atque obsecrans ultro flagitium suum patefaciat: tum vero mutata voce,

... *Æschine* (inquit) *audivi omnia*
Et scio; nam amo te: quo magis, quae agis, curae
sunt mihi etc.

Sed digna haec sunt, quae in ipso libro iterum ac saepius legantur; geri enim res prorsus videtur, et natura ipsa loqui. Quam praeclarum illud, Dii boni, quum

Micio filium intuens negantem, se virginis aedes pultasse, titubantemque:

Ita? (ait) *nam mirabar, quid hic negotii esset tibi:*
tum aversus:

Erubuit: salva res est.
Ad Clitiphonem ut redeam; ego vero, inquit, sic faciam,

Non ut meus, qui mihi per alium ostendit suam sententiam.

Atque hic Chremetem intelligit patrem, cujus morem paulo post satis impudenter depingit. Porro unde orsa erat, eodem orationem terminari oportebat. Chremes autem, superiori scena, capta ex eo commodum occasione, quod Clitipho nuntiaret, Cliniam sodalem, qui militatum profugisset, reversum, Menedemi patris iram etiam nunc vereri; ita tum hujus duritiam defenderat, tum adolescentis rationem improbaverat, ut et ipsum Clitiphonem leviter mordere videretur, et dissimulanter significare, se se, si sit opus, nihilo remissius acturum. Itaque Clitipho de filiis a se educandis loquens, si quid (inquit) ab iis mali ortum deprehendero, ipsemet eos, prout res exiget, plane, et sine ulla circuitione officii sui commonebo; non autem foris argumenta quaeram, sicut pater meus facit, qui sub alterius persona, quam valde severitatem probet, et quo pacto sit animatus mihi ostendit. Et quidem gravius accipere solent homines quae in eos occulte, atque oblique jaciuntur, quam quae aperte etiam cum aliqua acerbitate exprobrantur. Hoc enim benevolentiae videri potest, illud alienationem fere quandam animi, contemptionemque significat. Quae

tamen ipsa saepe temporibus commutantur. Jam vero adolescens transit ad id, quod hanc patris sui orationem maxime elevet, atque infirmet; ait enim irridens,

Perii! is mihi, ubi adbibit plus paullo, sua quae narrat facinora!

Quum enim Chremes videatur necesse habere bona exempla foris petere, ferendus sit, si nullum domo, atque ex se malum promat. Verum *is* (inquit Clitipho) qui ab aliorum disciplina suis monitis pondus quaerit, *mihi*, quem aetate ipsa ad libidines proniorem patriae virtutis exemplo magis, quam verbis ad bonam frugem revocare deberet, quos suos amores Dii boni, quas fallacias, quae furta, quos ludos narrat! at quo tempore narrat? super coenam, vino madidus, ac gloriabundus: quo tempore scilicet turpia detegenti maxime credi oportet. In vino enim veritatem esse adeo sibi persuaserant veteres, ut et Persae, quemadmodum Herodotus tradit, et Germani, Tacito teste, cum de reconciliandis invicem amicitiis, tum de jungendis affinitatibus, creandisque principibus, de pace denique, ac bello plerumque in convivio, atque inter pocula consultare soliti essent; tanquam nullo magis tempore vel ad simplices cogitationes pateret animus, vel ad magnas incalesceret. Quo fiebat, ut, quum agens non astute, nec callide arcana quaeque licentia loci aperiret, detectam ac nudam omnium mentem postero die retractantes, salvam haberent utriusque temporis rationem, deliberando scilicet dum mentiri nesciebant, constituendo dum errare non poterant. Sed ne a Chremete discedamus, illud etiam

advertendum est, quod ipsa ejus ebrietas fidem facit, eum et antea luxuriosius vixisse. Itaque Clitipho patrem accusare instituit non solum ab aperta commemoratione admissorum facinorum, sed multo etiam magis a praesentis intemperantiae probroso specimine. Accedit huc, quod ait *ubi*, quod crebritatem denotat; non enim semel perpotavit, ergo etiam narravit saepius. Qui igitur male facta sua ultro sic jactet senex, hic me juvenem unquam objurgabit? Qua enim id fronte? nam admissorum turpitudine perdocentis debilitatur auctoritas, et qui reprehensurus est alterum, ipse culpa vacare debet, ab eadem reprehensione quidem certe esse quam remotissimus. Atqui pater meus

Nunc ait: periculum ex aliis facito, tibi quod ex usu siet.

Ac prudenter id quidem, et seniliter; nam, ut ait is, qui Rhetorica ad Herennium scripsit, *rerum imperiti, qui uniuscujusque rei de rebus ante gestis exempla petere non possunt, ii per imprudentiam facillime deducuntur in fraudem. At ii, qui sciunt, quid aliis acciderit, facile ex aliorum eventu suis rationibus possunt providere.* Quod quum praeclare intelligeret Tibullus, juvenes, qui amoribus illaqueati tenerentur, hac sententia quodam loco appellavit:

Vos ego nunc moneo: felix quicumque dolore
Alterius, disces posse carere tuo.

Hoc ergo dixerat Chremes Clitiphoni, ut aspiceret modo, quo mala cupiditas sodalem Cliniam perduxisset: proinde videret etiam atque etiam, ne eadem et ipse impulsus necesse haberet *consilia consequi consimilia;* quin

potius infelici ejus exemplo ante oculos obversante, animum vincere, ac mollitiem omnem a se removere studeret. Quis autem non agnoscit monitum sapientiae plenissimum? rursus non videt, idem in ejusmodi patris ore mirum in modum adolescenti sordere? Etiam Demea Ctesiphonem sedulo curabat, nil praetermittebat, consuefaciebat, denique inspicere tanquam in speculum, in vitas omnium jubebat, atque ex aliis sumere exemplum sibi. Verum quanto hic probior, temperantiorque, imo vero quanto severior jam inde a puero fuit! Jure igitur exercere poterat filium, qui ne ipse quidem unquam vacasset, jure illum a deliciis avertere, qui in labore aetatem contrivisset. Quem quidem Adelphorum locum saepe Cicero memoria repetebat, quum Quintum fratris filium corruptissimis moribus juvenem regendum suscepisset. Itaque sic de eo ad Atticum aliquando scripsit: *De Quinto filio fit a me quidem sedulo*; *nosti reliqua .... Mirabilia multa. Nihil simplex, nihil sincerum .... Pater enim .... nimis indulgens, quidquid ego adstrinxi, relaxat.* Ridet vero interea Clitipho noster, et,

Astutus (inquit)! *nae illud haud scit quam mihi*
nunc surdo narret fabulam.

Astutum autem per ironiam dixit, vel quia scitus in sententiis praeter vitae consuetudinem, vel potius quod ita hebes, ac stolidus erat, ut de ejus flagitiis nondum quidquam sensisset, eique tum demum ab amore ut caveret, praediceret, quasi non ejus telo jampridem ictus fuisset. Porro *nunc surdo* accipe dictum quomodo in Andria *semper lenitas*, eleganti quadam junctura coalescentibus

verbis. Non dissimile est autem quod legitur apud Horatium in Epistola ad Caesarem, ubi Democritum in theatro sedentem, ac popularem ludorum insaniam cum risu spectantem facit:

Scriptores autem narrare putaret asello
Fabellam surdo . . . .

Ceterum videtur adolescens certum surditatis suae tempus praefinire; nam quemadmodum accidit, ut qui mente alias res agit, is jam nec oculis, nec auribus recte utatur, ita Clitipho quamdiu animum alibi haberet, et misere distraheretur, tamdiu ad patris monita *surdus* esse cogebatur. Et hoc est nimirum quod dixit Propertius in Elegia, qua Cynthiam suam minus minusque sibi obsequentem objurgat:

Ah pudeat certe, pudeat: nisi forte, quod ajunt,
Turpis amor surdis auribus esse solet.

Quum ergo Chremetis adhortatio non pluris apud filium sit, quam quanti *fabula*, aut somnium, non mirum est profecto, si apertius etiam addit:

Magis nunc me amicae dicta stimulant: da mihi,
atque affer mihi.

Quod si Clitiphonem improbitate quadam ac perversitate naturae, non externa et adventitia aliqua caussa, velut amore, paterna dicta negligentem Poeta induceret, nullum artificii praeberet egregium specimen. Verum in hoc ipso praeclarus artifex elaborat, ut per hujus personam omnes intelligant, quid prava illa cupiditas possit, quae juvenum animos etiam optimorum ita corrumpat, adeoque in eis nervos omnes virtutis elidat, ut

remisso pudori nuntio, iniquissima muliercularum postulata gravissimis parentum praeceptis anteponant, atque illis deservire cum jactura malint, quam his cum lucro auscultare. Eadem opera ponit nobis ante oculos meretricum avaritiam, quae ut quemque sunt nactae, non prius dimittunt, quam ad egestatis terminos redegerint. Frequentes occurrunt loci tum in Plauto, tum in Terentio, ubi perditi adolescentes et astutam amicarum rapacitatem, et paupertatem suam graviter conqueruntur. Quod quidem ad leniendum ardorem praeclarum esse remedium existimat Ovidius in eo libro, quem de hac re ipsa composuit. Ita enim quodam loco scriptum est:

Saepe refer tecum sceleratae facta puellae;
Et pone ante oculos omnia damna tuos.
Illud, et illud habet; nec ea contenta rapina
Sub titulum nostros misit avara lares.
Haec tibi per totos inacescant omnia sensus:
Haec refer: hinc odii semina quaere tui.

Clitipho tamen, ut qui amorem totis ossibus, medullisque receperit, non solum ea re non laeditur, sed magis etiam incenditur, ac torquetur Bacchidis caussa,

Cui (inquit) *quid respondeam, nihil habeo: neque me quisquam est miserior.*

Quod quum sit notissimum, omnes, qui praeter querelas, aut sententias, nihil afferunt, ab lenoniis aedibus exulare; quem tandem locum apud amicam hunc habiturum putemus, qui negat, ullam, nedum auri, ne orationis quidem paratam sibi esse copiam? Merito igitur idem omnium se infelicissimum praedicat, quem paupertas

Tantalo similem faciat, ut ab eo, quod videt, inhiatque, et paene contingit, bono (nam bonum ipse putat) misere prohibeatur. Etenim quanto beatior ille est, qui quod amat, eo fruitur; tanto ille miserior, qui non modo non fruitur, sed ne potiundi quidem ullam spem habet. Siccine vero? abundant Clitiphonis parentes, ac familiares divitiis; unus Clitipho egere, ac plorare turpiter cogitur? quam id durum! quam asperum! quam acerbum! Cujus aerumnae magnitudinem quo melius declaret, ut sunt homines ad excruciandum se se ingeniosi, Cliniae sodalis statum cum suo comparat hoc modo:

Nam hic Clinia, etsi is quoque suarum rerum satagit, attamen
Habet bene ac pudice eductam, ignaram artis meretriciae.

Quae quidem comparatio majorem habet infelicitatis significationem, perinde ac solus Clitipho iniqua Venere utatur, eique demum soli justa dolendi caussa sit; vana autem, atque inepta haberi debeat Cliniae sollicitudo, cui etiam laetandum videatur, quod pudicam ac liberalem amicam sit adeptus, et quam firmam habere sine dispendio, et sine rivalium metu possit. Amica autem Cliniae vocabatur Antiphila quae Chremetis filia quum esset, infans tamen anui cuidam Corinthiae a matre cum anulo tradita, adhuc ignorabatur, parceque, et duriter vitam agens, lana, ac tela victum tollerabat. Multo igitur (ait adolescens) meliore loco sodalis mei res sitae sunt, quam meae, cui in tantis malis ne levissimo quidem uti licet solatio illo, quod unum superesse miseris

solet, ut miseriarum socium habere me cogitem. Nam quum Cliniae puella, nec ullis imbuta sit lenociniis, et amanti in amore respondeat, contra

Mea est potens, procax, magnifica, sumtuosa, nobilis.

Quo quid copiosius, quid expressius dici potuit ad deformandum pessimae, atque immitissimae meretricis ingenium? magna prorsus vis est in unoquoque istorum verborum, ac mire aliud ex alio effici, quasique nasci videmus. Quum enim *potentem* dicit, eam esse demonstrat Bacchidem, quae homines devincire, ac velut captivos in triumphum ducere possit: quo eodem sensu dixit Propertius in secundo Elegiarum:

Cynthia forma potens, Cynthia verba levis.

Quid igitur mirum, si quae non ignorat, quantum et vultu, et sermone, et vero etiam apud optimates gratia possit, ea *procacem* se praebet, id est, utitur opibus suis, nec ullum adhibet poscendi modum? Nam *procacem* a *poscendo* repetunt Nonius et Festus, eoque vocabulo id genus mulieres proprie notatas docent. Quum autem *magnificam* dicit, ejus non modo fastum ac superbiam indicat, verum etiam exquisitas delicias, ac profusissimum luxum. Ex quo sequitur, ut magna impendia et faciat ipsa, et amatoribus quoque afferat. Quod utrumque voce *sumtuosa* significatur. Jam ad *nobilem* quod attinet, ecquis non intelligit, eam maxime notam, cognitamque esse oportere, quae mendicum ac sordidum ceterarum meretricum vulgus victu, cultuque tanto intervallo post se relinquat? *nobilis* enim est quicumque quacumque re, et maxime, si turpi, ad aliquam hominum famam

profluxit. Hinc etiam illae apud Umbrum poetam meretriciae Januae querelae:

Non possum infamis dominae defendere noctes,
Nobilis obscoenis tradita carminibus.

Quas ob res omnes Clitipho noster non si satrapes sit, subsistere tanto sumtui queat: quid nunc, quum non modo quod det, non habet, sed ne quod respondeat quidem? quam misere hunc Bacchis modo uret, atque in omnes partes versabit *potens*, nunc *procax* sollicitabit, modo excludet *magnifica*, contemnet *sumtuosa*, *nobilis* infamabit! Vide ergo, quam apte, atque oratorie post absolutam amicae descriptionem ad misericordiam sui excitandam iterum de inopia adjungat:

Tum quod dem ei, recte est: nam nihil esse mihi religio est dicere.

Quibus verbis rerum omnium, praeterquam blandae unius voculae, se inopem esse demonstrat; quod tamen ipsum apud amicam fateri nefas habeat. Id enim significat, quum ait, *Religio mihi est;* quae vox eo sensu hic adhibetur, quo et *dies religiosi* dicuntur, qui scilicet, auctore Aulo Gellio libro quarto Noctium Atticarum, *tristi omine infames, impeditique sunt, quos multitudo imperitorum prave, et perperam nefastos appellant.* At jure sane ab ista egestatis confessione vehementer refugit, quae vel majores porro angustias (ut erat veterum superstitio) sibi portendere videatur, vel certe avarum, nec satis firmum Bacchidis animum a se prorsus abalienare possit. Quo mitius igitur ea secum agat, simul ut ipse existimationem, qua potest, retineat, ubi de pretio

fit mentio, *Recte* continuo respondet: quo verbo, teste Donato, interrogationes, ac postulata sine alterius injuria, imo vero cum multa urbanitate dissimulantur. Itaque et in Plauti Mercatore Charinus quum amorem celare vellet, patri, quid festinaret, roganti respondet: *Recte, pater;* et Pamphilus in Terentii Hecyra quaerenti matri, quid tristis esset: *Recte* (inquit), *mater.* Ita ergo et Clitipho Amicae, cujus eum *dicta magis stimulant*, quam aut patris, aut matris, blandiendum esse arbitratur. Diceres, ex hujus oratione ea praecepisse Ovidium, quae sunt in primo de Arte:

Blanditias ferat illa tuas, imitataque amantem
Verba, nec exiguas, quisquis es, adde preces.
Promittas facito, quid enim promittere laedit?
Pollicitis dives quilibet esse potest.
Spes tenet in tempus, semel est si credita, longum;
Illa quidem fallax, sed tamen apta Dea est.
At quod non dederis, semper videare daturus;
Sic dominum sterilis saepe fefellit ager.
Hoc opus, hic labor est, primo sine munere jungi:
Ne dederit gratis, quae dedit, usque dabit.

Itaque quis non scitum amatorem hunc deputabit Terentianum adolescentem, qui quum amorem nullis muneribus, sed sola comitate principio junxerit, nunc eadem ipsum fovere, ac producere possit, callida meretrice frustra usque sperante, atque operam ne perdiderit, quotidie perdente? Verumtamen post tot inanes curas, seu potius deliramenta, audiamus tandem verissimam vocem e Clitiphonis ore prodeuntem. Nam is, postquam satis questus est, omniaque effudit, quae sibi aeger animus subjiciebat, saniora sententia, quasi resipiscens, concludit:

Hoc ego mali non pridem inveni; neque etiamdum scit pater.

Ubi recte et sapienter amorem *malum* appellat, ut qui plus etiam quam satis est de se experiatur. Sed *video meliora, proboque*, (ajebat illa apud Ovidium eodem in luto haerens mulier), *deteriora sequor.* Hic enimvero alloquendi sunt mihi adolescentes, ac magnopere adhortandi, ut et miserrimam Clitiphonis vitam, et verissimum Chremetis monitum crebro secum reputantes: *Periculum ex aliis facito, tibi quod ex usu siet;* fallaces feminarum illecebras, tanquam Sirenum scopulos, caute, studioseque devitent, ne quando per imprudentiam irretiti, eo et ipsi nequitiae, atque impietatis prolabantur, ut, brevi ex se ejecto filiorum animo, atque amentium potius, quam amantium persona capta, sanctissima parentum dicta, atque adeo parentes ipsos, quos proxime, et secundum Deos revereri natura jubemur, inexpiabili scelere negligant, contemnantque.

DE

VIRGILII ET OVIDII ORPHEO

Sane ab ea oratione quae inservit misericordiae ingeniosi sensiculi procul abesse debent, tollunt enim omnem significationem doloris, quo qui est affectus, vi quadam perpetua fertur, nec exquisitis sententiis vacare potest. Itaque parum ad miserationes ingenium valet, omnia efficit dolor, hoc est, natura ipsa commota, obsequens motibus suis. Quo autem quisque ad dolorem pronior est, eo ad miserationes est aptior. Ceterum alienum non erit, quum ad hunc affectum venerimus, duos duorum excellentium Poetarum locos, ubi miseratio dominatur, inter se conferre, Orphei scilicet Narrationem quae apud Virgilium est lib. IV. Georgicon, cum ea, quae est apud Ovidium libro Metamorphoseon X. Fab. I. Quae collatio in eo versabitur, ut ostendatur, quae momenta uterque ad permovendos animos attulerint, atque utrius narratio excellere videatur. Ego quidem, etsi Ovidius ex professo Fabulam exponat, Virgilius autem in transcursu eam attingat, tamen non dubito, quin Virgilii narratio miserabilior sit ob id ipsum, quod simplicior est, et ad doloris naturam magis accedit. Sed dicam aliquid de utraque.

Virgilius inducit Proteum Aristaeo minitantem hoc modo: *Non te nullius etc.* usque ad *alta non vidit in herba.* Cicero autem in quarto Tusculanarum definit misericordiam aegritudinem ex miseria alterius injuria laborantis. Atqui injuria laborat Orpheus, quia, quum ejus

conjugi caussa mortis fuerit Aristaeus, non hic, sed ipse fert supplicium, amissa Eurydice. Aristaeus autem, quamvis ei minitetur Proteus, adhuc tamen inultus est. Allato igitur Aristaei facinore movetur facilius misericordia. Nam Orpheus dupliciter est laesus; insecutio enim Aristaei propositum habuit adulterium; quamobrem ut secutus non esset serpentis morsus, secuta certe fuisset summa injuria. Movet etiam misericordiam casus ipsius Eurydices, quippe malo indignae. Si enim sequens adulterum, serpentis morsum accepisset, non misereremur, nisi orbati viri; nunc hoc acerbum est, quod ubi pudicitiae praesidium quaerebat, ibi inopinatum vitae exitium invenerit. Nam illico multarum malarum mulierum in mentem venit, quae diu jucundissime vixerunt; et inde cogitantes quid optimae acciderit, et indignamur, et dolemus. At Ovidius nihil horum habet, nec, sublato Aristaei flagitio, talibus cogitationibus dat locum. Virgilius Dryadum clamores, atque ipsarum regionum moerorem, et infinitam Orphei lamentationem admodum miserabiliter describit; et hi quidem de Orpheo versus legentium animos penitus afficiunt: *Ipse cava solans etc.* usque ad *canebat.* Nihil ea repetitione *Te dulcis, te solo etc.* ad vim desiderii exprimendam accommodatius fingi potest. Quid tale in Ovidio? qui quidem etiam descensum ad Inferos duobus versiculis includit paullo fortasse levioribus. *Ad styga Tenaria est ausus descendere porta. Perque leves populos, simulacraque functa sepulcro, Persephonem adiit....* Quanto fortius, atrociusque eadem Virgilius! *Taenarias etiam fauces, alta ostia Ditis, Et càligantem nigra formidine lucum Ingressus, manesque adiit, regemque tremendum; Nesciaque humanis precibus mansuescere corda.*

Haec verba singula terroris horrorisque sunt plena, eoque magis ingentem Orphei amorem indicant, qni, recuperandae conjugis gratia, per loca senta situ et tenebris, ire non dubitarit. Postremus autem versus memorabilem habet sententiam de Inferorum duritie, utpote humanae fortunae expertium. Quo magis, quse fuerit Orphei carminum suavitas, apparet ex versibus qui sequuntur: *At cantu etc.* usque ad *carentum.* Ovidius antequam ad animas venit, Orpheum inducit coram Plutone et Proserpina, caussam suam perorantem. Quae Oratio brevis quidem est, sed observatione digna ob elegans artificium. Nam, exposito itineris sui consilio, conatur Orpheus umbrarum Dominos, amorum illorum, quos ipsi olim experti fuerint, recordatione commovere: *Famaque si veteris non est mentita rapinae, Vos quoque junxit amor....* Deinde ostendit scitissime, omnia Orco deberi, atque ipsam Eurydicen, quum justos annos peregerit, illuc redituram. Itaque se non munus poscere, sed usum. Denique certum sibi esse, si conjux negetur, non reverti ad Superos.... *letho gaudete duorum.* Hanc orationem Virgilius non intexit, sed velut abruptae huc evadit: *Jamque pedem referens casus evaserat omnes, Redditaque Eurydice etc.* Sed nonne haec quasi reticentia plus habet cum splendoris, tum artis? illud enim *casus evaserat omnes,* plura certe, ac majora cogitanda lectoribus relinquit, quam totus Ovidii locus contineat. Et praeterea quum incredibilis quaedam, ac divina fuisse in Orpheo carminis suavitas ferretur, consultius summo Poetae visum est ea ponere, quae ejus orationis successum significarent, quam tantam dulcedinis vim effingendam suscipere. Qua in re Ovidio prudentiorem, meo

quidem animo, se praebuit. At hic, in commemoranda post Orphei perorationem Inferorum misericordia atque admiratione, non longe abiit ab imagine Virgiliana, quae est hujusmodi: *Quin ipsae stupuere domus, atque infima Lethi Tartara, caeruleosque implexae crinibus angues Eumenides, tenuitque inhians tria Cerberus ora, Atque Ixionei vento rota constitit orbis.* Quam similiter Ovidius! *Talia dicentem, nervosque ad verba moventem, Exangues flebant animae: nec Tantalus undam Captavit refugam, stupuitque Ixionis orbis. Nec carpsere jecur volucres: urnisque vacarunt Belides, inque tuo sedisti, Sisyphe, saxo. Tum primum lacrimis victarum carmine fama est, Eumenidum maduisse genas ....* Ubique tamen nimium amplificandi conglobandique studium apparet, quo tollitur sincera venustas illa ac nobilitas, quae a Virgilii sobrietate proficiscitur. Sed praecipua, eademque difficillima hujus Narrationis pars in Orphei respectu, atque Eurydices ad Inferos reditu posita erat. Id enim vel maxime miserationem movet, quum videmus Orpheum, tot acceptis calamitatibus, tot exantlatis laboribus, quum in eo jam esset, ut petita suis carminibus adiret praemia, levissimam ob caussam non solum omni gaudio, sed etiam omni spe in perpetuum spoliari. Quo quid durius, quid atrocius dici, aut cogitari potest? Hoc igitur tam tetrum, tam luctuosum facinus uter evidentius depinxerit, est diligenter attendendum. Ovidius fecit sic:

Carpitur acclivis per muta silentia trames
Arduus, obscurus, caligine densus opaca,
Nec procul abfuerant telluris margine summae:
Hic, ne deficeret, metuens avidusque videndi,

Flexit amans oculos; et protinus illa relapsa est;
Brachiaque intendens, prendique et prendere certans,
Nil nisi cedentes infelix arripit auras.
Jamque iterum moriens, non est de conjuge quicquam
Questa suo: quid enim, nisi se sequeretur amatam?
Supremumque vale, quod jam vix auribus ille
Acciperet, dixit: revolutaque rursus eodem est.

Adjuncta notatu digna hic sunt, quod non longe aberant a *summa terra*, quodque Orpheus flexit oculos, *et videndi avidus, et metuens ne puella deficeret*; erat enim verisimile, ut vix sibi crederet talem victoriam tantumque gaudium. Porro illud *protinus illa relapsa est*, — ostendit quidem celeritatem, sed impeditur quodam modo, atque evertitur sequentibus versiculis: — *Jamque iterum moriens etc.* et *supremumque vale etc.* Nam postquam *relapsam esse* dixit, inducit valedicentem, atque iterum ait, ad Inferos *revolutam esse*. Eadem repetere hoc quidem est. Dubito autem quin in tali re, tantoque dolore simile veri videatur quod adnotavit, ad manes relabentem nihil de viro esse questam suo, quod sequuturum certe confideret. Audiamus Virgilium:

Redditaque Eurydice superas veniebat ad auras,
Pone sequens: namque hanc dederat Proserpina legem:
Cum subita incautum dementia cepit amantem,
Ignoscenda quidem, scirent si ignoscere Manes.
Restitit. Eurydicenque suam, jam luce sub ipsa,
Immemor, heu! victusque animi respexit, ibi omnis
Effusus labor, atque immitis rupta tyranni
Foedera, terque fragor stagnis auditus avernis.
Illa: quis et me, inquit, miseram, et te perdidit, Orpheu?
Quis tantus furor? En iterum crudelia retro

Fata vocant, conditque natantia lumina somnus?
Jamque vale: feror ingenti circumdata nocte,
Invalidasque tibi tendens, heu non tua! palmas.
Dixit, et ex oculis subito, ceu fumus in auras
Commixtus tenues, fugit diversa: neque illum
Prensantem nequicquam umbras, et multa volentem
Dicere, praeterea vidit; . . . .

Quae tabula potest cum his versibus comparari? in quibus quot sunt verba, tot insunt ad misericordiam momenta. Ac dixi superius, eo majorem Orphei miserationem fore, quo leviori culpa uxore ipse sua excidisse ostenderetur. Hinc illa extenuatio: *Cum subita incautum dementia cepit amantem*, quam ne quis dubitet venia fuisse dignam, pulcherrima est addita sententia: *Ignoscenda quidem, scirent si ignoscere Manes*: quae exceptio in extremum conjecta, versum percellat animum necesse est. Ovidius dixerat: *Nec procul abfuerant telluris margine summae*, sane ad rem; sed Virgilianum illud: *Restitit, Eurydicenque suam, jam luce sub ipsa*, quanto, dii boni, est efficacius! nam aliud profecto est *non procul a summa terra*, aliud *jam luce sub ipsa*, quod quum audimus, totis medullis concutimur, ac de momento illo ita solliciti sumus, ut respectum tantisper modo differri anxie cupiamus. Nec temere Poeta usus est verbo *restitit*, quod quum moram sono ipso declaret, sollicitudinem nostram mirifice intendit; quamobrem legentes urgere velle videmur hominem, ut ire pergat et fugiat. Plus est etiam *luce sub ipsa*, quam *sub ipsa luce*, ut talis collocatio de industria quaesita sit ad majorem vim. Quid dicam de iis quae sequuntur: *Immemor, heu! victusque animi respexit?* Amoris impetus memoriam

misero ademerat: hoc ad excusationem pertinet; sed dictio illa *victus animi* quam multa, quam magna, quam inexplicabilia complectitur! Ostendit enim eo usque cupiditatis adductum fuisse Orpheum, ut nullo modo sibi temperare posset; quanto remissius Naso! *avidusque videndi.* Apud quem etiam hujus peccati poena admodum molli brachio exponitur. Virgilius vero qua verborum moestitia, quo imaginum horrore cuncta perfundit! *Ibi*, inquit, *omnis effusus labor:* nonne ad haec verba, quasi gelida superfusa, repente exhorrescimus? Sequuntur etiam terribiliora: *Atque immitis rupta tiranni Foedera, terque fragor stagnis auditus avernis:* hoc quidem ultimum jam vel auribus obstrepit. Intelligas profecto, Inferorum Regem esse qui irascatur. Hic Eurydice inducitur miserabiliter plorans, ac non maritum illa quidem incusans, sed *furorem*, nescio quem, quo ipsi mens subito sit erepta. Quod tanto et dolori, et amori multo est convenientius Ovidiano illo silentio. Jam quanti sunt ista: — *condit natantia lumina somnus*, et *feror ingenti circumdata nocte!* qui tristius describi mors potest? nullum non verbum est maxime efficax, et plenum. Sed in eo versu, qui sermonis est postremus, — *Invalidasque tibi tendens, heu non tua! palmas*, omnia conatum, amorem, desiderium, luctum omni ex parte spirant. Quam apte dicit *invalidas!* quam amatorie *tibi!* quam vehementer *tendens!* quam misere *heu non tua!* ex qua una voce omnes in eam redundant dolores. Reliqua etiam praeclare; at duo praecipue notanda: — *fugit diversa*, quo dicendi modo non rem audire, sed ipsam cernere videmur terga vertentem, ac properantem, et *neque illum Prensantem nequicquam umbras, et multa volentem Dicere*,

praeterea vidit ; quibus plura sane continentur quam Ovidianis illis : — *Brachiaque intendens, prendique et prendere certans, Nil nisi cedentes infelix arripit auras*; hic enim verbosius explicatur, quod Virgilius tribus vocibus multo evidentius expressit: *Prensantem nequicquam umbras.* Nam *certans prendere et prendi*, etsi belle dicitur, non perinde tamen rem oculis subjicit, ac *prensantem*; deinde melius est *umbras*, quam *auras*, hoc quidem loco. Praeterea est alia sententia in Virgilio pulcherrima: *et multa volentem Dicere*, quod in tali digressu ita naturae consentaneum est, ut nihil magis. Et singula aviditatem ostendunt, ipsa coacervatione verborum, *prensantem, volentem etc.* Quid quod notat, Orpheum, dum haec faceret, a puella non esse amplius visum? *Neque illum .... vidit.* Sane hoc cum reditus celeritatem significat, tum habet aliquid ad miserationem; saltem enim amatoris conatus videre potuisset; fuisset id ipsi solatio. Est enim proprium amantium valde cupere, ut quae eorum caussa, quos amant, faciant, aut patiantur, sint illis cognita atque explorata. Nunc breviter de renovato Orphei dolore. Ovidius per petitas ex aliis Fabulis similitudines, hunc tantum luctum adumbrare aliqua ratione conatur. Virgilius neminem prae oculis habet, nisi unum Orpheum, atque ex ipso omnia promit. Sed caute primum illum inexplicabilem immensi doloris impetum praeterit, ex sua ipse persona sic loquens. *Quid faceret? quo se rapta bis conjuge ferret? Quo fletu Manes, qua Numina voce vocaret?* et subjungit continuo quod percutiat legentis animum: *Illa quidem stygia nabat jam frigida cymba.* Nonne statim occurrit vivida nantis species, et Orphei in ripa inspectantis,

flentisque? hic scilicet superioris versiculi cum miseratione recordamur — *nec portitor Orci Amplius objectam passus transire paludem.* Sed jam illum describit ad *Strymonis undam*, septem ipsos menses ita plorantem, ut nedum feras mulceret, sed etiam arbores, saxaque, incredibili carminis suavitate, ad se duceret. Quo loco in similitudinem excurrit, cujus dulcedo ac moeror sentiri quidem potest, laudibus pro merito ornari non potest. Versus sunt cujusmodi nec Ovidius, nec, praeter Virgilium, quisquam fecit: *Qualis populea etc.* Ecquis est, in quo modo animus vigeat, qui, haec audiens, non toto pectore commoveatur? Nam ego quidem nec ipsum Orpheum arbitror dulcius, miseriusque cecinisse. Cetera, quae hic sequuntur, omitto, praeter postremos versus, quibus Orphei vel mortui amor mirifice declaratur:

Eurydicen vox ipsa, et frigida lingua,
Ah miseram Eurydicen, anima fugiente, vocabat:
Eurydicen toto referebant flumine ripae.

Hic etiam restabat quasi quidam penicilli tractus ad coelestem picturam absolvendam. Tota quidem imago est mire pathetica, agentibus etiam epithetis, illustrata — *vox ipsa, frigida lingua, anima fugiente;* sed trina illa nominis repetitione nihil aptius vel ad infinitam amoris vim indicandam, vel ad riparúm repercussum ipso verborum sono exprimendum. Quae quidem observasse scribentibus magis proderit, quam omnia omnium praecepta habere memoria comprehensa.

SERMONES HABITI

APUD

SODALES LITTERARIOS ROBORETANOS

QUUM ESSET EI SODALITATI A SECRETIS

I.

AN. MDCCLXXVII. XI. CAL. JULIAS
PLACONIDE . PRAESIDE
MENTORE . FLAVIANO . CENSORIBUS

I. Quum scriptorum meorum, quod vobis in praesens recitarem, haberem sane nihil, nollem autem, ut sum natura paullo loquacior, praeter consuetudinem silentio uti; persuasi mihi ipse, rem gratam universo Coetui me facturum, si quid librorum hoc intervallo Sodalitati nostrae missum esset, quam brevissime et sine ullo prorsus exordio ad vos referrem.

II. Libellum igitur Oeniponte ad nos misit Antonius Sterzingherius, theologiae et eloquentiae sacrae professor (si ullum inter sacram profanamque eloquentiam discrimen esse potest), una cum litteris humanissimis, quibus amicitiam nostram petebat, vel potius societatem. Est autem libellus ipse germanico sermone scriptus, quippe quem auctor, mulierum quae illas regiones incolunt, ac praesertim nutricum caussa, composuerit. Agitur enim in eo de abluendis lustrali aqua infantibus; neque id tamen adeo leviter ac jejune explicatur,

ut non multa occurrant quae operae pretium sit legere. Hoc enim etiam propositum fuit Sterzingherio, ut qui quaque Ecclesiae aetate abluendi ritus viguerint, simplici quodam atque aperto orationis genere exponeret. Itaque etsi nihil novi liber iste contineat, hoc ipso tamen germanis illis theologis videtur esse opportunus, quod vetera instituta, quae sine multa variaque lectione cognosci nequeunt, summatim collecta sub oculos ponit. Hic vero admirari vos arbitror, Sodales ornatissimi, quod de libro Germanica lingua scripto tam multa, tam explorate disseram. Itaque ne me Germanum repente factum esse putetis, quod profecto nolim, primum quidem sic habete, librum illum me nunquam legisse; deinde quidquid de eo praedicem, ex altero Censore nostro Flaviano (1) viro doctissimo accepisse, qui quidem istum Sodalitatis nostrae Candidatum diplomate impertiendum existimavit.

III. Porro idem honos tributus est Ferdinando Stegherio Ecclesiasticae Historiae professori, qui et ipse libellum, sed latinum, quo ejus Historiae studiosi initiari possint, Vienna Vindelicornm ad nos misit, specimen doctrinae suae ac petitionis indicem non obscurum. Scitote igitur opus esse cum eruditum, tum acrioris cujusdam judicii libertatisque plenum, minimeque praejudicatis opinionibus infuscatum, atque in suo genere absolutnm. Quum enim plures omni tempore extiterint Ecclesiasticarum rerum scriptores, ut difficillimus jam sit optimorum delectus; id ipsum praestat hic liber, ut

(1) Vero nomine Valeriano Malfatto Roboretano, Volsii discipulo, Tartarottorum amico.

quantum eorum cuique tribui debeat, cognoscas, atque ideo quemlibet utiliter legas. Praepositis enim certis quasi legibus, quibus vera a falsis, res gestae a commentitiis, priscae atque universales Ecclesiae consuetudines, a recentioribus peculiaribusque secernantur; ad harum ipsarum legum severitatem de cujusque historici fide, diligentia, acumine judicium Stegherius facit; quumque ab Eusebio Caesariensi, qui princeps res Christianas litteris consignavit, initium ducat, usque ad eos qui proxime scripserunt nec haereticis quidem exceptis; ita descendit, ut de unoquoque ea pronuntiet, quae ab amoris atque odii significatione abhorreant, veritati consentanea videantur.

IV. Atque haec vobis attuli e Germania; ex Italia vero nostra, pauciora quidem afferam, sed multo elegantiora, atque adeo meras elegantias merosque lepores. Etenim Francisca Robertia, lectissima atque ornatissima foemina, quae ab hinc triennium in nostram Sodalitatem cooptata fuit, quum Francisci Petrarchae Africam, quae novem latinis libris continetur, italicis versibus interpretari instituerit primumque jam librum conversum vulgaverit, hujus ipsius exempla tria Patavio ad me dedit, quorum unum Sodalitati suis verbis exhiberi per litteras jussit. De quo quidem libro, etsi jam antea magna quaedam praeconia in Romanis Ephemeridibus legeram; tamen quum ipsum ruri superiore mense, irriguo in pratulo sedens, evolverem, ea sum affectus admiratione, ut constituerim, ipsas illas Romanorum laudes operis praestantia superari. Nec vero quum hoc dico, de Poesi dumtaxat loquor, sed etiam de iis scriptis, quae sunt Poesi praeposita. Quid enim Epistola illa, qua

librum Camillae Joanelliae matronae gravissimae dedicat, potest esse limatius urbaniusque? quae et sententiis floret nobilissimis, neque in ea vitia, quae officiosas ejusmodi epistolas comitari solent, unquam incurrit. Jam quanta in praefatione judicii vis! quam apta eruditio! quae sermonis elegantia! qui lepor! quae festivitas! quam praeclare ibi disserit de toto Poemate Robertia! quam vere ostendit hunc honorem Petrarchae jamdiu ab Italis deberi, ut ejus Africam, summorum praemiorum olim ipsi conciliatricem, dein neglectam, ab oblivione atque a tenebris vindicent!

V. Nolite vos tamen, Sodales, nostrorum hominum pigritiae succensere; quin imo, si me auditis, huic ipsi gratias agite, quod talem provinciam Robertiae potissimum reservarit. Etenim sic habete, primum hunc ejusmodi Poematis librum quo Publius ille Scipio, qui agnomen ex devicta Africa invenit, celebratur, eo modo ab ingeniosissima muliere esse redditum, ut jure arbitrer, fore ut Petrarcha ipse, si legeret, nec alia lingua, nec aliter scripsisse se vellet. Sed merito factum puto, ut quae Thuscorum Poetarum optimum lustrare voluit, hoc studii sui, gratique animi praemium a Musis referret, ut eum ipsum illustrando aequaret. Musae enim omnes, medius fidius, Robertiae adfuerunt, quum tales versus, tam grandes, tam suaves, tam candidos exararet, eamque materiam, quam ille poeticae restitutor repererat, ac, prout illa ferebant tempora, latino carmine exequutus fuerat, tam scite expoliret, ornaret, illuminaret. Vere enim affirmabo, nullum in toto libro esse locum, qui servilem interpretis metum ac laborem ostendat; contra etiam expeditissima esse omnia, maximeque incitata,

aeria, sublimia. Nam ut nihil dicam, quam splendide Robertia exordiatur, quam graphice mutua Carthaginis et Romae odia describat, quam vividis coloribus Scipionis ingenium depingat; quî potuit aut hujus Imperatoris nocturnum divinumque ad Superos volatum elegantius disertiusque adumbrare, aut sapientissima illa ab eius patre, atque avunculo in flammantium stellarum orbibus cum eo habita colloquia illustrius, gravius, magnificentius exponere?

VI. Quae quum ita se habeant, si quidem verum est, earum rerum quae in terris fiunt, famam etiam ad beatas Elysiorum sedes penetrare, (nihil enim prohibet in re poetica poetarum more loqui) qua tandem voluptate affectum iri putatis Lauram illam Avenionensem, quum audierit inventam aliquando esse feminam, quae Petrarchae suo, communi totius sexus nomine, gratiam referret? Equidem videre jam illam mihi videor laetissimo in myrteto alacriter amatori occurrentem, verbisque hyblaeo melle dulcioribus, tantos honores gratulantem. Ipsum vero Petrarcham qua laetitia perfundi oportet, quo studio incendi in Robertiam! quem quidem, ut omnes amore nostri maxime ducimur, etiam illud optaturum esse arbitror, ut latina ejus africa depereat, remaneat thusca, quo magis apud posteros, adempta conferendi facultate, quoniam ex aliena lingua translata fere deteriora esse solent, latini poematis opinio ac desiderium ex ipsa thusci pulchritudine augeatur. Sed quidquid est horum, non enim scire plane licet quid illic apud Elysios agatur; nos interim gratulemur tam doctae matronae, virorum studia non sui sexus mollitias sequutae, eamque cohortemur, ut et reliquos octo libros ad hoc

exemplum convertat, atqne in eo dumtaxat Petrarcham ne aemuletur, quod ille Africam suam, multis demum post annis, ad exitum finemque perduxit.

VII. Ac quoniam vobis tam multa de Robertia sum loquutns, non videor mihi sine flagitio praeterire posse, quin et de Baptista Robertio, homine arcta illi cognatione conjuncto, aliquid dicam. Etsi, quid possum dicere, quod non sit vobis quam notissimum? facit enim jampridem singulare viri ingenium atque excellens doctrina, ut ejus nomen tota Italia summis laudibus celebretnr, atque eorum, quae ab ipso fiant, nihil obscurum, nihil inglorium esse possit. Itaque neminem vestrum ignorare arbitror, quanta in eo sit tum nostrarum tum latinarum litterarum intelligeutia, quam multiplex ac recondita eruditio, quantus in scribendo nitor, quam magna etiam ligatae orationis facultas; qui ut cetera ejus scripta sane elegantissima praetermittam, Aesopicas quoque Fabulas Italorum primus, variis modis atque numeris, scribere est aggressus. Quibus fabellis nescio equidem quid lepidius excogitari possit, quid amoenius, quid purius. Nihil igitur amplins de Robertio dicam, nisi id, qua gratia haec ipsa dixi: me scilicet vobis esse auctorem, ut clarissimum hnnc virum ultro in numerum vestrum adsciscere ne dubitetis; nam profecto ne ipsa quidem Robertia videtur mihi in ea Sodalitate libenter esse posse, a qua is absit, qui sit illi cum sanguine atque amore, tum ipso studiorum genere conjunctissimus. Ambo enim easdem litteras amant, iisdem excellunt, ut eos Gratiae ipsae eodem in ludo ad omnem elegantiam instituisse videantur.

VIII. Sed quando consilium vobis dare coepi, duos

etiam nominabo hoc eodem honore, mea sententia, dignissimos: Laurentium Barottum Ferrariensem, et Josephum Quirosium Hispanum; quorum alter aliquot civium suorum vitas ab Andrea Barotto ejus patre elegantissime accuratissimeque conscriptas ac editas, diserta ad Pontificem Epistola et erudita Praefatione, instruxit, jamque aliorum quorundam civium facta pariter illustrare ipse coepit: alter, quum Juri Civili sit deditus, Commentationem quandam in eo genere vulgavit, doctam, acutam, vis ac ponderis plenam. Uterque autem ingenio est acerrimo, judicio maximo, scientia singulari, summo studio, usu incredibili, opinione praeclara. Quirosius etiam, quum in Patronorum numero sit, hoc habet vel omnino peculiare, vel commune cum paucis, quod et bonus vir est, et bene latine scribit. Hos igitur, si vobis, Sodales optimi, pro vestra humanitate ultro adjungendos censueritis, rem feceritis et mihi jucundam, et his ipsis honorificam, et vobis omnibus sine ulla dubitatione gloriosam.

IX. Verum sentio me, quadam sermonis voluptate captum, non modo lapsum esse longius quam debueram, sed plura etiam vobis exposuisse, quam initio promiseram. Et tamen videte, quam patientes vos arbitrer; tantum enim abest, ut veniam a vobis petam, nec abire quidem vos ante permittam, quam mechanicas quasdam Marci Antonii Jancsinii solertissimi viri ad nos litteras meumque ad illas vel potius Mentoris nostri (1) responsum recitavero. Mechanicas autem dixi litteras, quia in eis agitur de Machina Astronomica, quam Janesinius

(1) Clementis Baronii Cavalcabovii v. cl.

excogitavit construxitque, non ad coelestem descriptionem eam quam Copernicus invenit, quaeque apud sanos omnes probatur, sed ad veterem quandam, qua terrae huic nostrae diurnus dumtaxat motus tribuitur, annuo illo altero, cujus ope, tot siderum non re sed specie regredientium, stantium, aberrantium motus perfacile explicantur, importunissime adempto. Nunc igitur quaeso, attendite: summam enim viri industriam cognoscetis, quam tamen si quidem Mentori assentiemini, melius collocari cupietis.

II.

AN. MDCCLXXVII. VI. CAL. JANUARIAS
MENTORE . PRAESIDE
MENTORE . FLAVIANO . CENSORIBUS

I. Videmini mihi, Sodales, ita animati huc advenisse, ut nonnihil mihi succenseatis, quod et conventum eum, qui quotannis postremus sub autumni initium haberi solet, nullum indixerim, et ruri quatuor ipsos menses abfuerim. Equidem intelligo haec esse ejusmodi, ut apud eos quibus mea ratio non sit perspecta, notam aspergere mihi aliquam possint cum negligentiae, tum desidiae. Verum mihi credite homini minime mendaci; ita longe ab utraque absum, ut nemo vestrum fortasse magis. Ignoscite, quaeso, si confidentius dixi; ut enim quisque culpa maxime vacat, ita loqui solet audacissime. Etsi id ipsum nunc quaeritis. Sic igitur habete, quibus diebus advocandus fuerat postremus ille conventus, per eos ferme dies, quum et maximi calores essent, et eo

morbi genere civitas vexaretur, a quo mihi jure metuerem, coactum esse me valetudinis gratia in Iserianum confugere. Itaque quum caussam haberem sonticae simillimam ac poene parem, putavi, facilem mihi fore excusationem, quod me vobis diutius conservare voluissem. Nam quod illic tandiu sum commoratus, non nego equidem, summam illam divini ruris amoenitatem me in primis detinuisse; quae si culpa est, nolite, amabo, ad illos colles accedere, nam facile in eam incurretis; sed idem affirmo, me nunquam minus otiosum fuisse, nunquam tam studiose, tam multa, tam secundo Apolline scripsisse, quam quum proxime ruri essem. Et vero quî fieri aliter poterat? Eram totos dies cum Paullo Botto poeta facili et festivo: habebam etiam Josephum Malisanam (1), virum plane singularem, atque eo ingenio praeditum, ut ad id unum, quodcumque agat, factus esse videatur. Cum igitur multum operae ambulationibus, ludis, jocis, tum vero plurimum litteris tribuebamus. Nulla dies abibat, quin et legeremus aliquid et scriberemus, quum praesertim alius alii exemplo esset, atque omnes simul agrorum nemorumque viriditas, atque alta secessuum quies excitaret. Sed necesse non habeo omnia vobis narrare; alioqui nova atque ante hanc diem inaudita commenta proferre possem, quae nostrae rusticationi debeantur. Nunc ne putetis (videte quam suspiciosos vos arbitrer) privatis dumtaxat studiis me indulsisse, ac rerum nostrarum curam toto eo tempore intermisisse; illa vobis referre statui, quae hoc intervallo e Germania

(1) Venetum e Dominicana Familia, qui Legum Sacrarum scientiam Tridenti professus fuerat.

ulterioreque Italia ad nos pervenerunt. Sed antequam id facio, peto a vobis, ut iram, si quam huc in me quasi in hominem negligentem attulistis, omnem illico deponatis, quod quo facilius impetrem, brevissimum me fore polliceor.

II. Duo igitur fuere omnino hominum genera, a quibus aliquid acceperimus: unum eorum, qui in nostram Sodalitatem adsciscì cupiebant, alterum eorum, qui jampridem adsciti fuerant. Ad primos quod attinet, Camillus Volta Mantuanus, una cum epigrammate Metastasio inscripto, Poematium ad nos misit, quo M. Theresiae Augustae laudes persequebatur, ita eleganter, atque eo verborum et sententiarum splendore, ut Sodalitatis Principes dignum censuerint qui nostro diplomate ornaretur. Haud pari successu usus est *Simon Damaschius* (1), qui Comoediam prosa oratione scriptam, cui Patri Sapienti nomen indiderat, nobis reddendam curavit, de qua ego ad Censores diligentissime retuli. Erat autem ita composita, ut a vulgaribus amorum illecebris discederet, habebatque personas cum ad delectandum, tum ad docendum mirifice appositas; nam et boni sedulique patris, et filii paullo quidem negligentioris, sed qui facile ad frugem revocari posset, et oppido ridiculi adolescentis, amici perliberalis, et duarum sapientissimarum mulierum mores in ea pingebantur. Verum quum ipse fabulae cardo atque exitus in mendacio esset positus, idque mendacium a patre proficisceretur, qui et primarum erat partium, et sapiens inducebatur, ab eoque filii ad officium reditus, omniumque rerum mutatio penderet;

(1) Quae ita scripta invenerit, sciat Lector haud vera esse nomina.

quumque et alterius mulieris sapientia paullo nimium exagerata videretur, ut etiam patris obrueret, et sermones argutis sensiculis praeter naturam redundarent, neque esset in oratione nitoris satis, ut alia quaedam peccata omittam; diploma auctori non est missum. Id enim, mihi credite, Sodalitatis dignitas postulat, ut nemo, nisi qui ejusmodi ingenii specimen dederit, quod judicia arguti acumen non reformidet, in vestrum numerum adsciscatur. Hoc etiam leges nostrae praecipiunt, quas quum iidem conderent, qui hanc Sodalitatem condiderunt, illud unum profecto spectarunt, ut ejus cum decori, tum etiam incolumitati consulerent. Habemus Sodales bene multos, eosque doctos; nulla re minus quam numero egemus. Retineamus igitur, vel potius revocemus instituta majorum, illosque homines dimittamus, ex quorum cooptatione nihil ad ipsos verae laudis, ad nos plurimum est dedecoris perventurum.

III. Quamquam, nolite me ita severum existimare, ut ne ipsam quidem repulsam quacumque ratione leniendam putem. Ego vero vel maxime, idque etiam nuper re ipsa declaravi. Nam quum *Carolus Rotteguntus*, natione germanus, libellos aliquot Theologicos sane ineptos diplomatis impetrandi gratia misisset, eosque Antonius Sterzingherius commendatitiis litteris esset prosequutus, nolui quidquam ad *Rotteguntum* scribere, ne, si ipse negarem, gravius illi vulnus accideret; verum Sterzingherio rem exposui, eumque submisi, qui hominem admoneret. Epistolae autem haec fere sententia erat: me ejus humanitate fretum, quae ad *Rotteguntum* scribere veritus fuissem ea ipsi sodali nostro aperire. Legisse nos quae de hominis summo bono,

ejusdemque extremis, de suprema auctoritate Concilii Generalis, de sorte Adami ejusque culpa ad posteros omnes manante suus ille popularis edidisset; sed nihil suffragio nostro dignum reperisse. Scriptorem esse ejusmodi, qui alienae auctoritati nimium tribuat, rationi suae minimum, qui vetera ac trita sic persequatur, ut meliori in lumine non collocet, qui eruditionem sine modo ac judicio undique congerat, qui de iis etiam disserat, quae minime callent, qui absurdas quasque opiniones defendat, qui denique insulsissimis delectetur jocis atque impurissimo genere sermonis. Itaque dubium nobis non esse quin quum talem hominem nobis commendaret, eos libellos nondum vidisset, et alioqui satis caute fecisse, quod judicium suum nullum interposuerit. Caeterum nos scire *Rotteguntum* venia esse dignum, quippe quum ejus adolescentia in ea tempora inciderit, quibus veterum scholarum barbaries extincta nondum esset; cujus rei si habeatur ratio, plus etiam illum effecisse, quam erat sperandum. Sed enim vero in scriptis, quae nobis veluti ad gustum proponantur, non quid quique facere potuerint, sed quid fecerint, spectandum esse: alioqui finem legis, quae est de aestimando specimine, periturum. Cujus quidem observantiam, si quando unquam, nunc profecto esse nobis molestam; verum illud nos consolari, quod cum ejusmodi socio nobis res sit, qui Sodalitatis dignitatem commendationi suae anteponi facile patietur. Et tamen spem esse, ut *Rotteguntus* ad sanitatem se aliquando recipiat, ac diplomate nostro quam dignissimum praebeat. Hoc interim nos optare, ut iis verbis de nostro judicio certior fiat, quae sint illi quam minimum doloris allatura. Neminem porro ad id

esse aptiorem, quam ipsum Sterzingherium, eumque nos, ut rem suscipiat, etiam atque etiam rogare.

IV. Ex his igitur, Sodales, videre potestis quae mea sit ratio, qnam, quum ab optimo praesertim animo proficiscatur, haudquaquam vobis improbatum iri confido. Sed jam, relictis Candidatis, venio ad Sodalium munuscula, de quibus quam pancissimis expediam. Menghinius Oeniponte Commentationem de praeparatione alimentorum, Battistius volnmina duo misit medicorum praeceptorum ad Chirurgos tum civiles, tum militares, quae Antonius Storchius Archiater Regius et Sodalis noster germanico sermone composuit, ipse in nostrum nuper convertit ita dilucide ac perspicue, ut se cum utriusque linguae, tum rerum, de quibus agitur, peritissimum ostendat. Elegos praeterea accepimus a Josepho Qnirosio Hispano Jurisconsulto latinos, quibus Antonium Ferraresium civem Ferrariensem ad Jurisprudentiae lauream accedentem laudavit; quorum nunc mentionem haud facerem, nisi elegantia, nitore, gravitate ex infinita versiculorum turba ita se erigerent, ut dubitare incipiam, utrum sit ille aptior defendendis caussis, an pangendis carminibus. Atque, ne a poetis discedam, thuscnm poematium nobis reddendum curavit Hippolytus Bevilaqua Veronensis, de cujus excellenti in hoc genere facultate non est cur plura dicam. Eo poematio, quod ad Mariam Annam fratris filiam, ornatissimam foeminam, quum Camillo Alcenaghio nuberet, scripsit, eique, Gregorii Nazianzeni ad Olympiam carmen imitatus, praecipua matrisfamilias officia demonstravit, nihil ego jamdudum legi neque tersius, neque dulcius, neque sapientius, neque floridius. Gemmas auro illigatas diceres.

Porro ejusdem Bevilsquae opera Seguierii viri clarissimi librum gallice scriptum Nemauso usque accepimus: etsi hunc quidem ipsius auctoris nomine, qui sodalis noster fuit, sed magno bonarum artium detrimento jam diem obiit. Hic autem liber, cujus altera haec est editio, ad antiquam inscriptionem Domus Quadratae Nemausensis totus pertinet. Etenim scitis, de illius aedificii dedicatione magnas fuisse inter doctos usque ad annum hujus aetatis octavum et quinquagesimum controversias, vel potius tenebras. Nam quum aeneae litterae, ex quibus intelligi id posset, vetustate evanuissent; nihil supererat, praeter cavos in quibus apices, qui illas epistylio ac zophoro jungerent, infixi fuerant. Quid igitur fecisse putatis Seguierium nostrum, aut quibus artibus praeclaram inscriptionem, quae ab aliis videri recusabat, suis sibi oculis obsequentem reddidisse? Ille vero nihil aliud, quam ipsos cavos pice diligenter oblevit. Quo facto, litterarum forma denique apparuit, magnaque cum spectantium admiratione integra inscriptio repente extitit, quae et declararet, Templum illud esse Cajo et Lucio Caesaribus adoptivis Augusti filiis dicatum, et caeterorum eruditorum commenta sine dubitatione refelleret, qui id aedificium Protei cojusdam loco habuerant, ac modo Capitolii in eo speciem, modo Basilicam aliquam, nunc Domum consularem, aut Praetorium sibi videre visi fuerant. Quarum opinionum nullam hoc libro Seguierius praetermisit, sed adeo accurate, ita erudite singulas excussit ac refutavit, ut florentissima illa Sodalitas, quae ab inscriptionibus appellatur, sit ipsi publice per litteras gratulata.

V. Atque haec sunt, Sodales optimi, quae in vulgus

edita his proximis mensibus ad nos pervenerunt. Nunc praeterea duas lucubrationes accepimus calamo tantum exaratas, sed cum diversi auctoris, tum inter se dissimillimas. Altera enim est a Carolo Maria Magio Veronensi, et in physicis tota versatur; altera a Joanne Fabronio Florentino, eaque, quod minime expectetis, versibus continetur. Sermonem, inquam, Magius misit bene longum, quo ad Lunam usque provectus est dum quaerit, ab ea ne quaedam, quae in animantibus plantisque fieri videmus, maneant ac fluant, an haec omnia crassioris hujus aeris vis tempestatesque moderentur. Hujus ego Sermonis particulam, quoniam ita auctor jussit, mox recitabo. Fabronius autem quum Lutetiae Parisiorum versetur, incidit fortasse in puellam aliquam forma praeter caeteras pulchra atque illecebris plena, quae illum, ut est etiam ingenio versatili, a lapidibus, atque ab herbis ad ea, quibus feminae magis delectantur, paullisper traduxit. Itaque Carmen composuit oppido quam venustum, ad meque pro necessitudine nostra perferendum curavit, ut, si vellem, in vestro Coetu perlegerem; non enim recusat, quin suorum lusuum atque amorum participes sitis. Profecto jam audietis, amicam celebrari eo vultu, habitu, incessu, ut a Gratiis secernere atque internoscere ne Gratiae quidem ipsae potuerint. Magis autem poeticae hujus fabellae festivitatem percipietis, si os ipsum ac vocem elegantissimi adolescentis, quem mecum hic saepe vidistis oculis vestris atque auribus proponetis.

III.

AN. MDCCLXXVIII. PRID. CAL. MAIAS
CINONIO . PRAESIDE
MENTORE . FLAVIANO . CENSORIBUS

I. Vellem, Sodales, aut plus otii mihi fuisset, aut certe tantum esset facultatis, ut, quod Lucilius ille, qui urbem secuit, factitasse dicitur, *stans pede in uno* totas implere pagellas possem; profecto non essem veritus, ne non optimum disserendi haberem argumentum. His enim mensibus, qui postremum conventum nostrum sunt consequuti, complura nobis sunt allata, quibus de singulis bene longus instituí sermo posset. Sed quoniam et Gymnasticae me quaedam occupationes impedierunt, hodieque impediunt, sponte illae quidem, sed non inutili, ut aliquando videbitis, consilio susceptae; nec sane is ego sum, qui proclivi illa utar scribendi celeritate; ita dabitis mihi hanc veniam accomodatam rationi meae, vobis ipsis, ut spero, non injucundam, ut haec omnia in quam paucissima conferam, magis scilicet consuetudinis, et dicis caussa, quam illius libri materiam, ac laudem accurate demonstrandi.

II. Ut igitur ab externis munusculis initium sumam, tres Germani poene eodem tempore tres libros ad nos miserunt dissimillimo argumento, ex quibus duo latine scripti sunt, vel potius, ne quis cavilletur, latinis verbis. Nam Michael Stenuserius commentationem medicam misit, qua partim Margrafianis experimentis, quae e germanico in latinum vertit, partim aliunde petitis rationibus

docet, quibus elementis alumen gignatur, ac multiplices mirabilesque hujus salis in omni vita usus recenset. Carolus Michaelerius non libellum nobis, sed spissum volumen exhibuit, quod tamen a Graecorum proverbio, qui magnum librum, magnum malum vocant, abesse audivi ex Flaviano Censore nostro clarissimo viro. Est autem omnino opus improbi cujusdam laboris, quo antiquissimae Germanorum dialecti ex aequalibus tabulis codicibusque eruuntur, ad certam grammaticae normam exiguntur, atque inter se comparantur; quod quidem patriae eruditionis praeclarum est monumentum. Denique a Johanne Prixelio Germanicam lucubrationem accepimus, quam ita inscripsit, ut foeminis equitandi studiosis se nonnihil praecepturum profiteatur. An vero etiam praestet, tum denique vobis dicam, quum ex Flaviano, cujus oculis in hac lingua uti soleo, id ipsum cum cognovero. Interea scitote, et Stenuserium et Michaelerium merito in nostram Sodalitatem adscriptos esse.

III. Venio ad nostratia. Franciscus Rezzanius Comensis, vir in primis litteratus, mirifica quadam in nos est liberalitate. Nam quum italicum eruditissimum poema de Ecclesiae triumpho, quod ad sextum usque Christi saeculum perduxit, in totidemque libros divisit, atque omnibus artis luminibus ornavit, haud ita multo ante ad nos perferendum curaverit, eaque re quibus litteris sunt ipsi actae gratiae, iisdem sodalis noster sit creatus; aliud volumen nunc misit, quo sacra quaedam cantica, latine primum ab eo extra metrum scripta, italicis deinde versibus ornatius reddita continentur. Latina autem quum legas, Davidem tibi hac lingua loquentem audire videaris: ita se totum ad divini hujus vatis similitudinem

Rezzanius composuit, imaginibus, verbis, verborum constructione, forma ipsa denique, et charactere. Itaque si quis hunc librum in manum sumat, neque ad canticorum indices valde attendat, qui sunt fere de rebus ad Christianam Religionem pertinentibus, is facillime falli poterit in eo, ut se non recentia, sed ex sacris libris excerpta carmina legere arbitretur. Id autem intelligitis Sodalem nostrum sine eximia quadam aptissimi ingenii vi nullo modo assequi potuisse. Nam italicos ejus versus, etsi grandes atque ampli fluant, minus tamen mirari soleo, quippe quum similes facere multi possint; illa vero singularis ac propria laus est, novos hymnos hebraea majestate plenos condidisse, ac Davidicam citharam feliciter esse aemulatum. Caeterum ne quid Rezzanio abesse putetis, quominus omni laude cumulatus haberi debeat, scitote, ipsum etiam prosa oratione sic scribere, ut nihil illustrius, nihil acutius fieri possit. Quod Epistolae quas libris praeposuit, et librorum proemia satis declarant, ex quibus etiam de excellenti ejus doctrina licet judicare.

IV. Jam vero videte, Sodales optimi, quam recte sub italo coelo muliebria ingenia semper provenerint, ut vel una gens nostra eorum iniquitatem refellat, qui huic sexni acumen, atque in litterarum studiis industriam adimunt. Nondum enim duo menses sunt, ex quo Anna Paltrineria Mantuana bina poematia ad nos misit, alterum editum ad Romanam Arcadiam, quo filioli mortem ita deflet, ut de Summi Artificis providentia, de animorum immortalitate, deque bonorum finibus et eleganter et splendide loquatur; alterum calamo exaratum ad Camillum Voltam sodalem nostrum, quo fallacium amicorum

perfidiam acerrime insectatur; quod quidem illorum sermonibus opponi potest, qui de amicarum fraudibus queruntur, atque in solas foeminas hoc crimen conjiciunt. Utrumque carmen matronam ostendit, quae et eximiis sit praedita virtutibus, et praeclaris philosophiae praeceptis institutisque abundet, non hujus tantum, quae ad mores pertinet, sed etiam ejus quae in natura versatur. Itaque quum quartae huic Corinnae Diploma mitteremus, non obsequium illud, quo nos foeminis jamdiu obnoxios reddidimus, sed verissimas ejus laudes sequuti sumus.

V. Nunc ad viros redeamus. Latinum Sermonem accepimus Lutetia Parisiorum a Johanne Fabronio doctissimo adolescente, qui idcirco illum fortasse misit, ne quum amatorium ejus Eidyllium proxime audieritis, ei rei dumtaxat operam se dare arbitremini. Hoc igitur Sermone Historiae Naturalis, quae ipsi quavis puella est carior, originem ac praestantiam mirifice demonstrat: varias ejus auctorum rationes ita persequitur, ut non plurimum ei tribuat, quae in nomenclatura versatur, qua memoria quidem fit promptior ad prope infinita rerum genera quamvis subito percurrenda, earum autem natura nihilo magis expeditur, cui indagandae is demum rite incumbit, non qui in suas quidque classes curiose tribuit, sed qui res ipsas penitus retexit atque inspicit; postremo illam graduum et quasi annulorum seriem, qua tria Naturae regna quae hodie dicuntur, inter se contineri majores nostri crediderunt, ita oppugnat, ut prorsus dissolvere videatur. Quod utinam Fabronius meus vel nostra, vel certe gallica lingua in his conscribendis uti, quam latina, maluisset; ut quoniam in sententiis atque in re

omnia sunt laude digna, nihil esset ne in oratione quidem reprehendendum. Atque id ipsum tamen satis mirari non possum, hominem adolescentulum inter Gallos versantem, Romani sermonis contemptores vel maximos, Romanum sermonem potissimum, quem paene oblitus esset, adhibere voluisse. Usque adeo verum est quod ait M. Tullius: *multis involucris, et quasi velis quibusdam obtendi uniuscujusque naturam.*

VI. Atque haec habebam de rebus nostris quae ad vos referrem, nisi illud etiam addam, Maximilianum Feldinerium Germanum, qui Viennae Vindelicorum physiologiam profitetur, tum ipsius, tum Battistii sodalis nostri rogatu; et Joannem Mariam Cepolinium venetum, auctore Praeside nostro ornatissimo viro (1), cujus testimonium egregii speciminis instar habet, ea Sodalitatis lege, quae est de viris fama notis, in nostrum numerum cooptatos fuisse.

VII. Nunc autem, quando huc omnes de more convenistis, habeo ego quem hominem dignum coetu vestro, vestrisque suffragiis. Is est Josephus Nemberius adolescens Brixianus, cujus libellum de Francisci Quintiani Stoae ac Joannis Planerii Vita quum ejus familiaris Baptista Rodella, vir optimus mihique in primis amicus, nuper ad me misisset; sic ejus lectione sum delectatus, ut statim de adjungendo nobis auctore cogitaverim. Nihil, inquam, eo libello limatius, nihil candidius. Quum enim hoc historiae genus vel difficillimum sit, propterea et res ac mores hominum describi eatenus oportet, ut leviculа, aut supervacua non ingerantur, et

(1) Josepho Malisano, qui tunc coetum ducebat.

ad hoc ipsum oratione cum expressa ac suavi, tum brevi et pura opus est, Nemberius ita utrumque est assequutus, ut in utro excellat, judicari satis non possit. Nam et duos illos litteratissimos viros penitus nobis tradit inspiciendos, quod sane paucorum historicorum est, et si qua ejusmodi dicenda sunt, quae ad temporum notationem, ad aliorum testimonia, atque ad similia potius, quam ad ipsas personas referantur; ea omnia ab historiae perpetuitate sejungit, et stilo utitur eo, qui vim, qui acumen habeat, idemque lenitatem et elegantiam, quo denique, si linguarum discrimen modo excipias, nullus sit Corneliano similior. De ipsius autem Nemberii virtutibus si quaeritis, quamquam id quidem in nemine soletis, quum litteris perpolitos vel nimis multos esse constet, quorum vita sit vitiis inquinatissima; sed tamen si quaeritis, scitote, juvenem esse prudentem, modestum, gravem, studiosum, quique et sibi, et suis, et patriae ornamento sit longe maximo. Quapropter si hunc recipietis, maximos ex ejus observantia atque industria fructus maximamque voluptatem capietis.

IV.

AN. MDCCLXXVIII. VII. CAL. JULIAS
MENEIPPO . PRAESIDE
MENTORE . FLAVIANO . CENSORIBUS

I. Soleo vobis, Sodales ornatissimi, quoties sermonem de rebus nostris apud vos instituo, brevitatem polliceri, qui videlicet valde metuam, ne orationem meam per se injucundam, si etiam longior sit, vestrae aures

ferre nullo modo possint. Verum hodierno die quod solemni exordio illo utar, nihil est, quum enim et pauca, et tenuia hoc intervallo acceperimus, ipsa argumenti inopia facit, ut longus esse, si maxime velim, omnino non possim. Itaque ne illud quidem timendum est vobis, in quo me aliquando peccasse fateor, ne fidem fallam. Nam quod tardius ad rem venire, atque inanibus verbis tempus eximere fortasse videor; vos vero sic habete, me haec ipsa dicere, ut, quum coetus dimissus fuerit, aliquid tamen me dixisse dicatis. Sed ne cum homine cavillandi studioso, ac sophistarum persimili rem vobis esse existimetis, quidquid id est, quod pro consuetudine mea referre ad vos habeo, quantumcumque est, continuo persequar.

II. Ac primum omnium Prixelii illius Germani recordari vos jubeo, quem proxime narraveram, Commentariolum de equitandi arte ad nos misisse sua lingua scriptum, quo foeminae potissimum uterentur. Hoc igitur Commentariolum Flavianus noster, cujus studium ac diligentiam nostis, quum pridem legerit, nihil non vulgare ac tritum inesse dixit; eam tamen reperit sermonis elegantiam, tantum concinnitatis, ut hoc nomine dumtaxat Candidatum suffragio suo ornaverit. Porro ille alter Germanus, de quo pariter in postremo conventu mentionem feci, Carolus, inquam, Michaelerius magnum volumen, sed ineditum, nuper ad nos dedit, ea quidem inscriptione, ut, si totam recitare velim, *faee et viatico opus sit*, ut ait ille apud Plautum facetus senex. In quo sane Germanorum hominum consuetudinem semper sum miratus, quod ipsorum libris eos titulos fere inscribant, qui verbosa quadam obscuritate non

allicere lectores, sed deterrere videantur. Caeterum eo in volumine de linguae latinae ac germanicae origine et natura disputabat Michaelerius, qui quidem humanissimis litteris, quas simul miserat, significabat, se illud Sodalitati dedicare velle, eamque sibi praecipuam esse mittendi caussam, quod speraret, nostra opera vulgatum iri. Respondi ut potui, ut debui: jucundissimum nobis fuisse ejus officium, ex quo quam grato, ac benevolo in hanc Sodalitatem sit animo, intelleximus; proinde gratiam sibi et habere nos maximam, et referre aliquando cupere. Verum librarios, qui tanto volumini sint pares, Roboreti esse nullos; et Operis, quod ad germanicam linguam maxime spectet, haud ita expeditam hic fore venditionem. Itaque in omnem partem satius esse a Germanis suis ipsum non discedere. Nos quidem sibi esse auctores, ut illud Commentarium quam primum edat; idque non magis ad nostrum decus, quam ad ipsius laudem pertinere.

III. Quae quidem postrema verba, qua sum in his rebus libertate, non addidissem, nisi auctorem in suo illo genere, quod ceteroqui insuave ac spinosum est, doctum diligentemque et acutum cognovissem. Nam hoc ipso in libro, quem simul accepi, statim, ut fit, inspexi ac degustavi, nec ordinem desideres, nec perspicuitatem, quae ego interdum multo eruditione potiora existimo; quamquam et eruditio apparet non vulgaris, et subtilitas plane summa; ut igitur omnia in pauca conferam, librum sic remisi, ut vestris verbis, et nuncupationis honorem acceperim, et editionis curam devitarim. Hactenus de externis.

IV. Johannes Jacobus Dionysius Veronensis ex eorum

sane paucorum Sodalium numero est, qui litteram nullam in vulgus edunt, quin nobiscum communicent. Itaque etiam nuper libellum ab eo accepimus, cui id est propositum, ut demonstretur, Zenonem sanctum, Pontificem Veronensium, sub tertii a Christos aeculi finem atque initium quarti, hoc est, Quinti Tullii Salonini Gallieni temporibus, ut Coronatus tradit duabus tantum aetatibus inferior, non autem quarto exeunte, ut quidam Coronati obtrectatores somniant, floruisse. Multa ibi de veterum opinionum per manus transditarum fide, multa de Coronati auctoritate, multa de inscriptionibus ad Gallienum Imperatorem ejusque filios pertinentibus, multa de coronis Imperatoriis, multa de Martyris appellatione, multa de Pontifice ipso, ac de Proculo disseruntur, atque ita plane explicantur, ut sive stilum spectes, nihil purius, sive rationum vim ac momenta expendas, nihil quaeras robustius. Itaque non dubium mihi quidem est, quin Dionysius noster, vir sane cum humanissimus, tum omnis antiquitatis peritissimus, id quod cupit, efficiat, ut et Coronatum a quorundam maledictis recte vindicet, et qua aetate Zeno vixerit, sine errore constituat.

V. Equidem quam vere, atque ex animo, tam etiam libenter de hujus scriptoris laudibus hodie apud vos loquor, quum praesertim Franciscus Dionysius ejus fratris filius hic adsit, et ita adsit, ut sodalem studio habeamus, dignitate Principem vereamur. Dignum profecto adolescentem patruo suo, quique, nisi et brevitatis promissione impedirer et vero ipsius pudori parcendum existimarem, facile me propter eximias virtutes suas, humanitatem in primis, industriam, suavitatem,

modestiam, ab hujus sermonis proposito posset paullisper avocare. Quamquam quid dico? quae enim vobis nota esse volebam, omnia jam exposui, praeter duo, quae et ipsa continuo adjungam.

VI. Multum ego debeo, Sodales optimi, Marco Zagurio Patricio Veneto, qui Pontifex Cenetensium nuper est factus (1), quumque observantiam ipsi meam insigni aliquo officio testatiorem esse cupiam, nihil potius reperio, quam ut cum nostrae Sodalitatis diplomate cohonestandum curem. Quod quum totum in manu sit vestra, quanto studio a vobis petam, ut ne spem ac preces meas frustremini, satis, opinor, intelligitis. Et est omnino Zagurius vir ejusmodi, ut quaecumque Sodalitas eum receperit, non tam ipsi ornamentum allatura, quam ab illo acceptura esse videatur. Nemo certe eo melius e nostris, si Valsecchium et Nogheram excipias, istos Philosophos a Gallis profectos exagitavit, qui eam unam colunt insanissimam sapientiam, ut Deum, ac Religionem nugarum, fabularumque anilium loco habeant. Quamquam is auctor est Zagurius, qui a Valsecchii et Nogherae similitudine prorsus recedat. Illi enim gravem ac severam refutandi rationem sequuntur, hic amoenam, festivam, jucundam; illi argumentis pugnando rem conficiunt, hic irridendo causam omnem secat ac jugulat; illi adversarios urgent, hic adversarii cujusdam personam ipse induit, qui coeterorum gregem in certam reipublicae formam redigere, iisque cum praecepta dare, tum quaedam, quae contra institutum ipsi suum peccarint, exprobrare aggressus, dum consulere

(1) Postea vero Vicetinorum.

suis studet, omnes eorum vel ineptas, vel absurdas, vel etiam inter se pugnantes sententias, omnes simulandi ac dissimulandi artes, mendacia omnia, omnes dolos, omnia denique pertinaciae, levitatis, arrogantiae, dicacitatis genera in apertissimam lucem proferat. Quibus rebus jure videor posse dicere, nec quidquam tali ratione esse acrius efficaciusque, nec quemquam praeterea apud nos hac aetate extitisse, qui difficillimum istud perpetuae ironiae genus, quod divinus ille Socrates plurimum adamasse fertur, vel urbanius tractaverit, vel utilius.

VII. Constitueram hoc loco de Elisabethae quoque Thuriae Venetae mulieris, quae Vicetiae Ephemerides litterarias scribit, et quacum consuetudo mihi epistolarum est, laudibus plura dicere, eodem videlicet hoc consilio, ut eam vestrum in numerum adsciscatis. Verum per mihi opportune in mentem venit, nihil multis opus esse, quum illud ipsum Ephemeridum scribendarum munus satis caussae profecto sit, quare id vobis vel statim faciendum existimetis. Video quid mihi sitis responsuri. Quasi vero, dicetis, aut scripta nostra tam mala sint, ut, si edantur, honesti censoris judicium metuere debeant, aut tam venalis sit Thuria, ut quolibet officio corrumpi, ne vere judicet, possit. Siccine me in salebras conjicitis? at ego et vos bonos scriptores puto, et religiosam cum primis Thuriam; sed idem arbitror, et eam vituperationem, quae ab amico proficiscatur, haud parum differro ab illa, quae aut ab alieno, aut ab inimico; et magnum discrimen esse inter eas laudes, quas jure nobis quis tribuat, quem ipsi aliquando ornaverimus, et eas, quae aut item ab ignoto, aut ab assentatore

proferantur. Quamobrem si Thuriam, eruditam sane, ac disertam foeminam, vobis adjungetis, ita ea vestros libros, si quos edetis, si quid erit offensum, reprehendet, ut omnis verborum acrimonia sit tamen abfutura: eosdem, si boni plane erunt, ita laudabit, ut voluntatem in vos suam, gratumque animum sitis perspecturi.

VIII. Nunc ut aures vestras orationis meae asperitate fatigatas jucunda aliqua lectione paullulum relevem, recitabo vobis italicam quandam Elegiam Vincentii Montii Ferrariensis, sodalis quidem nostri, atque optimi poetae, quam ipse nuper pro amicitia nostra ad me misit. Hujus argumentum quod quaeratis, nihil est; quid enim aliud caneret Montius meus, nisi puellarum blanditias, atque umbratiles vel iras, vel inducias, vel paces? qui quidem ea sit animi mollitia, ut quavis forma capiatur, quovis vultu auferri se sentiat, ut centum habeat caussas, cur semper amet, ut denique illud Nasonis dictum non minus vere de se usurpare possit:

Vive, Deus, posito si quis mihi dicat amore,
Deprecer; usque adeo dulce puella malum est.

Verum enim magnam ejusmodi amoribus habendam esse gratiam censeo, quod poetae ingenium mirifice provehant, ex eoque pulcherrimos versus saepe eliciant. Nam vel hoc ipsum poematium tam multis abundat virtutibus, ut quum illud Faventiam ad Caesarem Naldium auctor misisset, vir nobilissimus, idemque intelligens aestimator librario opere descriptum remiserit. Omnino multum inest amoris, dulcedinis, amaritudinis, doloris. Videtur autem Poeta, quum huic elegiae scribendae operam daret, Propertianam illam, quam

omnium dulcissimam, maximeque miserabilem inter doctos esse constat, ob oculos propositam habuisse:

Haec certe deserta loca, et taciturna querenti,
Et vacuum zephyri possidet aura nemus.
Hic licet occultos proferre impune dolores,
Si modo sola queant saxa tenere fidem.

Nostis reliqua. Animum igitur advertite, ac de meo judicio judicate.

V.

AN. MDCCLXXVIII. VI. CAL. JANUARIAS
QUISTANIO . PRAESIDE
MENTORE . FLAVIANO . CENSORIBUS

I. Neminem vestrum esse arbitror, Sodales, cui non Hieronymi Carlii, viri clarissimi, Sodalitatis litterariae Mantuanae a secretis, nomen saepius auditum sit, quique non ipsum magni faciat. Nam praeterquam quod singulari est homo lenitate, modestia, suavitate, tanta etiam rerum maximarum scientia excellit, adeo in romanis graecisque antiquitatibus est versatus, ut qui ei pares poni possint, non multos in Italia habeamus. Quae omnia, utpote in Etruscis natus, mira sermonis urbanitate condire, atque exornare solet. Is igitur quum proxima aestate extremam hanc Italiae oram, vel, si vultis, laciniam perlustraret, ac mecum pro sua humanitate totos dies esset: non ante omnino abire voluit, quam vestrae Sodalitati, in quam mea opera adscriptus fuerat, voluntatem studiumque suum aliquo pacto testatum reliquisset.

II. Itaque tradidit mihi recentissimum Opus Petri Forfaitii Rothomagensis, Architecti navium Regis

Galliarum, numeris sane omnibus absolutum. Nam quum Sodalitas Mantuana de more quaestionem posuisset: qua ratione, quam minimo labore, ac sumptu alvei navigabiles ex arena, terraeve acervis, quibus eorum fundus altius erigitur, expediri possint; ita solerter Forfaitius viam qua id facillime fiat, pervestigavit, tamque opportunas in hanc rem machinas excogitavit, ut caeteros omnes, qui certatim in eodem argumento elaborarant, superaverit, sitque ipsi praemium publice adjudicatum.

III. Addidit praeterea Carlius duos alios libellos, quorum in altero, unde puniendi jus fluxerit, explicatur. Hunc autem scripsit vir amplissimus Johannes Baptista Gherardius Archius, qui quidem duplicem poenarum sumendarum originem extitisse ait: alteram, quod irati homines, quum alienam vim propulsare statim non potuissent, injuriam postea ulcisci cuperent; alteram, quod publicae tranquillitatis gratia, quam quisque potestatem earum rerum adhibendarum haberet, quae et propriam salutem tuerentur, et improborum licentiam refrenarent, eam ipsam communi consensu Reipublicae concederet, quae deinde peccatis aequas poenas irrogaret. Ab his principiis profectus Auctor, omniaque philosophica illa subtilitate excutiens ac perpendens, rem eo deducit, nihil ut fieri possit illustrius. Quid multa? laudatus est per litteras cum ab Alambertio et Condillachio, tum ab ipso Borussorum Rege, ab illo, inquam, Rege, quem nescias, Martisne magis, an Minervae munera delectent, quique quum Caesari et bellandi et scribendi laude similis sit, ne Augusto quidem doctorum hominum amicitiis colendis cedit.

IV. Alterum Opusculum est de bombycibus in agro Mantuano procurandis, idque ab universa Sodalitate, singulis velut symbolam conferentibus, est conflatum. Non mehercule, Sodales, tam multa de puerorum institutione Lochiani isti Philosophi disputant, quam multa super ejusmodi bestiolis proferuntur. Quamquam profecto dignae sunt quamvis officiosa sedulitate, quippe quae (licet enim in his rebus Epicureos fructum spectantes sequi) hospitibus ac paedagogis suis cumulatissime gratiam referre soleant. Harum enim opera famem tolerant illi ipsi, quibus nos maxime quaeque vitae commoda, et quod apte vestimur, et quod molliter recumbimus, et quod laute epulamur, debemus. In ea igitur commentatione diligentissime de bombycum ortu, semine, educatione, opere, morbis agitur.

V. Atque haec ipsa monent, ne binos libellos praeteream, quos Carolus Bettonius, agricola doctus et liberalis, proxime ad nos misit. Qui quidem non de bombycibus solum, verum etiam de armentis est universe bene meritus. Nam paene eodem tempore utrorumque vitae studiosissime prospicit, quum et Moris, quibus bombyces vivunt, vulgata lue periclitantibus medicas manus admovere conetur, et multarum arborum folia gratissimo pecudibus pabulo esse posse ostendat. Videtis, Sodales, quam valde aetatis nostrae homines sapiant, quamque, ut jaculatorum tela ad metam, sic omnium ad unam utilitatem conversa sint studia. Itaque finem dicendi faciam, ne caeteris sedulo exercentibus, ipse unus, ut de Marco Lepido narrat Caesar, diutius, quam par est, nugari fortasse videar. Quamquam manete etiam paullisper, dum paucula adjungo.

VI. Johannes Baptista Albertinius Anauniensis, qui Oeniponti dialecticam profitetur, Graserii nostri rogatu in hanc Sodalitatem exeunte Octobri cooptatus est. Antonius Sterzingherius Germanus, sodalis noster, scripsit ad me nuper, gratissimum sibi fore, si Ferdinandum Sterzingherium, cognatione sibi conjunctum, hoc eodem officio complectamur; doctum esse virum, multaque in vulgus edidisse, quae ad nos mittentur; atque adeo nunc quoque Monachii publice docere.

VII. Marcus Zagurius Pontifex Cenetensis, quem, meo impulsu, hac aestate in vestrum numerum retulistis, pro ea, qua est humanitate, litteras ad me dedit officii diligentiaeque plenissimas, quas in vestro conventu recitarem, ex quibus, quantum sibi voluptatis diploma illud nostrum attulerit, facile intelligetis. Quamobrem animum attendite. Legam autem continuo et poematium in primis pulchrum, atque utile, quod mihi Hippolytus Bevilaqua, Sodalis noster, antiqua homo virtute ac fide, quum Iseria discederet, tanquam hospitii tesseram, reliquit.

VI.

AN. MDCCLXXIX. PRID. NON. AUGUSTI

MENTIPPO . PRAESIDE

MENTORE . FLAVIANO . CENSORIBUS

I. Si de me nunc quaeratis, Sodales ornatissimi, toto hoc tempore, quod a postremo conventu ad hanc diem fluxit, quid rerum gesserim, cur vos citius non convocarim; longa profecto sit oratio. Etenim magna

pars aegrotanti, ut scitis, est elapsa, major nihil agenti, maxima nugas agenti. Verum haec ipsa distincte exponere, nisi multis verbis, non possem. Quid igitur? an quum tot menses fortasse perdiderim, etiam hanc horam me ut perdam, cogetis? qua quidem poena si ego dignus sum maxime, at vos indigni, quorum aures ineptis sermonibus torqueantur. Quare hanc veniam a vobis peto, ut me et praetermittere haec omnia, et vero etiam quòd ad vestras res attinet, prorsus quam brevissimum esse patiamini.

II. Ut igitur propositum meum teneam, scitote, Franciscum Rezzanium misisse ad nos tertium volumen ejus poematis, quod Ecclesiae triumphum inscripsit. His autem postremis libris tria saecula complexus est, septimum, octavum, nonum. Quam scite atque eleganter non dico; vosmet enim ex iis, quae de hominis ingenio ac stilo, quum priorum voluminum mentionem facerem, praedicavi, id facile colligetis. Porro a Carolo Ferdinandio, qui italicam linguam Lausenii docet, libellum accepimus, quem Moses Mendelsonius hebraeus, alter quidem Longinus, de genere sublimi, quod in humanioribus litteris dominatur, gravissime scripsit, ipse in nostrum sermonem convertit. Quod quamquam ita fecerit, ut alia nisi repetita lectione, non intelligas, alia ne intelligas quidem; (nam et verbis utitur non magnopere usitatis, et ambitu etiam implicatiore) tamen homini et probo, et solerti, et nostrum, quod vidi, studiosissimo non possum non favere. Itaque ejus industriam honestissimosque conatus approbatione potius aliqua fovendos, quam ulla reprehensione retardandos esse existimavi. Joannem Baptistam Graserium civem

nostrum quid apud vos commendem? cujus incredibile acumen, atque expeditam dicendi copiam nemo est, qui non jamdiu maximi faciat. Is quoque latinam orationem, quam paucis ab hinc annis, in Lyceo Oenipontano historiae tradendae munus suscepturus, composuerat, nuper emisit, et pro eo ac debuit, ea nos ne careremus curavit. De qua si magis judicium meum flagitaritis, ad Vicetinas Ephemerides vos remittam, quibus id ipsum latissime consignavi (1).

III. Sed haec levia, et quotidiana; illud praeclarum ac prope regium est munus, quod Ferdinandus Sterzingherius proxime nobis Monachio misit, impellente quidem et conciliante me. Sunt autem tredecim ipsa volumina Rerum Boicarum, spissum sane opus et operosum, et quod quum evolvas, invictam illam germanorum constantiam, atque illud robur agnoscas. Huic ego egi gratias, mehercle, quam libentissime. Atque audite, quaeso, et illius ad me, et meas ad illum litteras ......

IV. Haec igitur habui de rebus vestris quae dicerem. Nunc Bernardini Rodulphii Benacensis commentationem de quaestione veteri et satis jam, ut arbitror, explicata, utrum plus ingenio, an disciplina proficiant homines, et pastoralia quaedam Nicolai Bellavitae Veronensis carmina suavissime amoenissimeque conscripta, ut audiatis, cum meis, tum ipsorum qui miserunt, verbis etiam atque etiam vos rogo.

(1) Initio Voluminis octavi ad annum MDCCLXXIX.

VII.

AN. MDCCLXXIX. VI. CAL. JANUARIAS
PLACONIDE . PRAESIDE
MENTORE . FLAVIANO . CENSORIBUS

I. Nolite expectare, Sodales, vulgare illud exordii genus, quo vobis antea, ut benevolos atque attentos mihi vos facerem, brevitatem solebam polliceri. Etenim tam pauca in praesens habeo quae dicam, ut nullo plane exordio mihi utendum putem.

II. Ludovicus igitur Cultellinius, domo Aretio, pridem binos sermones ad nos misit, quibus quatuor Anaglyptis aeneis Etruscis Cortonae inventis eruditissime lucem adhibet; proxime autem latinum Commentariolum de suspectis tutoribus Franciscus Zeillerius germanus, uterque sodalitii diplomatis impetrandi gratia. Sed Cultellinius eo, quem petebat honore statim potitus est. Zeillerius vir bonus, adhuc in candidatis versatur, e quibus quam mox exeat, in manu est vestra. Porro veter sodalis noster Graserius, cujus Germania reditum patriae gratulari jure licet, qui et ipse librum illum suum de loco proprie sacerdotibus in templo ad sedendum attributo nuper ab se latine conversum, et Josepho Garampio pontificio apud Augustum legato, viro summo (1) inscriptum nobis dono dedit; vehementer

(1) Nunc in Collegium Patrum Purpuratorum merito adscripto. De Graserii autem libro vide Ephemerides Romanas ad mensem Aprilem an. MDCCLXXX. Num. XV. pag. 119. Ipse Graserius obiit sexennio post, extatque Vannettii liber de ejus vita editus Mutinae an. MDCCXC.

vos rogat, ut Carolum Scaevarlium, qui sibi in docendi munus successit, tum ipsius merito, ait enim singulari doctrina esse virum, tum etiam sua caussa in vestrum numerum cooptetis. Sed et ego habeo quem vobis nominem eadem cooptatione dignissimum, Johannem Ferrium Fanestrem, adolescentem liberalium artium doctrina cum primis excultum, qui quum Lutetiae Parisiorum, quo puer perductus est, fere degat, gallice scribit et soluta et ligata oratione sic, ut non tam eam linguam didicisse, quam in ea natus esse videatur. Habet autem jamdudum in manibus permagnum perque difficile opus, quo nostrorum hominum litterarum laude excellentium gloriam a Gallorum maledictis vindicaturum se pollicetur. Itaque sic ipsum Parisiis versari statuo, ut quendam in hostium castris exploratorem. Redeo ad munera.

III. Roma accepimus a Vincentio Montio sodali nostro volumen eorum carminum, quae Liburni vulgavit. De quibus scio vos non dubitare, quid sentiam. Omnino poeta est ejusmodi, ut neminem ei in lyricis, hoc quidem tempore, anteponam. Sed legite, quaeso; est enim liber in medio. Verum quum ad eam epistolam veneritis, qua me puellae, nescio cujus, amore captum facit (1), fidem ei ne habeatis; quin illum, ut cum maxime, tunc poetam agere existimate, etenim ipsi videtis, quantum toto vitae instituto, ipso denique cultu atque ore ab hujus insaniae suspicione absim, ut dicere non verear, Montium meum, quum ubique decorum servarit, in hac

(1) E sex Epistolis, quas Montius prosa oratione carminibus suis interposuit, una est ad Vannettium, qua amatorias elegias quasi amatori festiva dedicat.

fabula confingenda plane ab eo recessisse. Franciscus Parisius Romanus, qui Scipioni Burghesio Purpurato est a secretis, virorum integerrimus atque eruditissimus, multis verbis apud me extulit vestram humanitatem, quod dignum duxissetis, quem vobis adjungeretis. Hic quum librum composuisset, in quo optimum scribam informat, (non hos dico forenses quorum vix bonus quisquam esse potest, sed illos qui principibus viris in scribendis epistolis operam navant) verumtamen quum eum librum composuisset, atque id nomen, quo in sodalitate nostra appellatur, vellet inscribere, non modo veniam a nobis petiit, sed librum ipsum calamo descriptum (si exigere liberet) se nobis missurum dixit. Eam modestiam admirati Censores nostri, gratiarum etiam actione prosequendam putaverunt. Itaque non descriptum, sed editum brevi, ut spero, librum habebimus. Atque haec hactenus. Audite nunc jam suavissimos quosdam ad nutricem infantulo adsidentem versiculos, quos Hippolytus Bevilaqua socius noster proxime ad me misit, ex quibus intelligetis, quam vere Horatius cecinerit:

Os tenerum pueri balbumque poeta figurat.

VIII.

AN. MDCCLXXX. PRIDIE NON. JULIAS

BIAGIATO . PRAESIDE

MENTORE . FLAVIANO . CENSORIBUS

I. Pauca hodierna die vobis, Sodales humanissimi, eaque fere poetica ex ulteriore Italia sum allaturus, nihil boni e Germania. Mantua igitur nescio quid versiculorum accepimus a Maria Paltrineria, quibus philosop hiae

studiosa foemina, unde horribiles illi terraemotus existant voraginum effectores eversoresque oppidorum, quodam Cyrenes Nymphae quasi afflatu nobis demonstrat. Quamquam scio, nonnihil vereri Censores nostros, ne aut mulier parum intellexerit quid sibi Nympha ad aurem insusurrarit tum, quum subterranea fluviorum capita (sic enim narrat) speluncasque ingentes ambae simul perlustrarent; aut ipsa Nympha mulieri mendaciolum obtruserit. Sunt enim quae cum recentissimis optimorum physicorum inventis ac rationibus non admodum congruant. Quae tamen probe nostis, non nimis a poetis solere exquiri; nam quae poetarum propria sunt, in iis Paltrineria minime offendit, nisi si quando inflatior est ac novae huic voluntati propior, quam manare video in dies latius.

II. A quo quidem vitio longe abest *Johannes Lepocinius*, qui poematium in duos libros digestum Venetiis edidit ad nosque misit. Poematis et titulus et argumentum *Nobilitas* est, cujus origo ita explicatur evolviturque, ut variae mundi aetates ac primorum praesertim hominum ab omni fastu invidiaque remotissimorum, unique agriculturae studentium mores fuse lateque describantur. Sed meministis tritum illud Horatii verbum: *in vitium ducere culpae fugam, si caret arte.* Id ipsum in *Lepocinium* optime quadraverit; quippe ex hac artis ignoratione factum arbitror, ut quum ille tumorem istum de quo dicebam, qui nunc prope solus dominatur, fortasse vitare vellet, in verbosum quoddam, humile atque enervatum inciderit, scribendi genus. Quod ipsi non inurbane quidam merito evenisse dixit, qui de *Nobilitate*, re Musis invisa, canere voluerit.

III. Haud paullo meliore munusculo nos impertiit Carolus Bettonius, novo, inquam, libello de bombycibus bis anno educendis. Vere, ut assolet, et *autumni frigore primo*; quod ille, modo certae quaedam cautiones adhibeantur, quas singillatim experientia duce persequitur, cum ad rusticorum fructum, tum ad mororum luem avertendam utilissimum fore existimat. Plura si quaeritis, nam et digna res est cognitione vestra, et ipse Bettonius, quid vos sentiatis, scire cupit, libellum, quaeso, percurrite; et discetis sane aliquid, et fortasse etiam ridebitis, quum *Bombyces Augustinos* legetis.

IV. Duos Germanos, Graserio Praeside petente, in nostram sodalitatem adscripsimus, Carolum Scaevarlium, virum haud ineruditum, et *Carolum Rotteguntum*, hominem, credo meliorem libris suis. Scaevarlius latinam oratiunculam misit descriptam, non editam, de litterarum utilitate. Genus materiae videtis quam expositum, quam apertum: difficile autem est, quae communia et pervulgata sint, ea ita tractare, ut propria ac nova dicere videare. De Constantini Laurentii popularis nostri, necessarii mei, cooptatione nihil est quod certiores vos faciam quum ipsum modo recitantem audieritis. Qui qnidem quum a gravissimo Censore nostro Mentore ob egregiam illam beneque disertam, quam de Thomae sancti laudibus proxime habuit orationem hoc honore dignus sit judicatus, timere nullo pacto debetis, ne cui injuria talem in numerum adscitus esse videatur.

V. Porro summam aequi judicii laudem a vobis relatum iri polliceor, si per me hodierna die vos exorari sinctis, ut idem istud societatis vestrae diploma Antonio Frittio deferatis, civi Ferrariensi, amico meo, poetae

facetissimo accuratissimoque historico, cujus etiam nuper volumen exiit de Bevilaquarum familia; quod ego quum legerem (etenim ad me misit), non poteram mirari satis, quo pacto vir solertissimus duos illos scopulos, ad quos talium rerum scriptores navim saepissime impingunt, effugisset, ut nec ulla omnino assentatione uteretur, et eorum, qui in ea gente virtute aut litteris praestitissent, factis illuminate exponendis, reliquae orationis in propaginum notatione dumtaxat positae severitatem jejunitatemque condiret. Tenete igitur traditam vobis a majoribus consuetudinem, ut quorum praeclara ingenii specimina feruntur, eos honestissimo opinionis vestrae testimonio vel ultro exornetis.

VI. Ne ego quidem interea a meo more discedam, quem vobis probari intellexi, ut sermoni meo aliquid alieni poematii subjiciam, quo et animus vester et aures, si qua in re offenderint, ipsa carminis suavitate acquiescant et recreentur. Legam autem Epistolam Josephi Januarii Patavini, sodalis nostri, hominis cum docti, tum mihi amicissimi, patrio sermone, Horatiano stilo et charactere conscriptam: quo ille perdifficili perque recondito in genere jamdiu magna cum laude versatur.

IX.

AN. MDCCLXXXI. XII. CAL. JULIAS

AQUINO . PRAESIDE

MENTORE . FLAVIANO . CENSORIBUS

I. Quid caussae fuerit, cur Sodalitiis, qui haberi solent tum hyeme tum vere, conventibus intermissis, meo tamen reliquo nulla ex parte neglecto officio ruri tamdiu

sim commoratus, non ignoratis; quid igitur tanto intervallo boni hodie afferam, quaeritis. Ego vero, Sodales, nec multa, nec magna; sed ea tamen, quae vobis non prorsus injucunda futura sint.

II. Nam duo Caesenates, Josephus Aldinius et Thomas Lacchinius vestrae societatis cupidi, duos libellos miserunt sane non contemnendos: alter Commentarium de varia fortuna, qua latina lingua modo horridula, modo florens, tum autem corrupta, rursusque restituta usa est, non solum erudite, verum etiam hac eadem lingua probabiliter scriptum; alter Laudationem funebrem Romualdi Guidii civis sui, optimi purpurati, satis disertam et splendidam. Eorum utrique vestro diplomate satis factum est.

III. Michael Tuccius sodalis noster, qnod jamdiu fuerat pollicitus de re rustica volumen, tandem persolvit. Est autem in sex omnino capita tributum, quibus de frumentis, vitibus, moris, bombycibus, bombycinoque opere (quae maxime nunc vigent) diligenter agitur; quippe quum id propositum sit auctori, ut Forojulienses cives suos doceat, quemadmodum eorum agri talium fructuum quam feracissimi reddi possint. Videorne vobis in illa mea Iseriensi mansione aliquid ex ista Camillorum Fabritiorumque disciplina arripuisse? Verum deflectam alio, nec errare vos patiar.

IV. Bina opuscula a Ludovico Barberio Vicetino accepimus de convenientia, quam is contendit esse coloribus cum hisce sonis, quos vocales appellant, atque adeo singulis coloribus cum musicis modis, et de aeternitate divina, deque tempore quo mortalia haec nostra praeterlabuntur. Quae quidem quum subtilissimis

rationibus partim e mathematica scientia, partim e physica, partim etiam ex ea, quae est de natura animorum, petitis conficiantur, hoc orationis genere nullo modo adumbrari posse intelligitis. Et tamen audio, Barberium, qui Neutoniana de coloribus plane mirifica oppugnet, vicissim ab aliis oppugnari. Videat sane vir doctus, ne praeoccupata fatigataque longis contemplationibus mente, dum vera tenere se putat, inania, ut fit, consectetur.

V. Jacobus quoque Dionysius binis libellis Bibliothecam nostram locupletavit, quorum altero latinae nonnullae epistolae continentur, quas ipse, Josephus Spergesius et Joannes Baptista Vereius de Nummis Veronensibus, qui praesertim sub Ezzelino conflati sint, mutuo benevolentiae testimonio, nec vulgari doctrinae copia inter se scripserunt. Alter patria lingua exaratus accuratissimam habet de Arcadio sancto disputationem, qui idem Veronae et mortem Christi caussa oppetiisse, et natus quoque esse non ita multis argumentis, multo tamen acumine demonstratur. Praeterea poematia, nescio quae, juvenilia, graeca et latina Augustini Casatii Mediolanensis, et quaedam ad suae gentis originem atque avitarum aliquot apud Turcas possessionum jus pertinentia, quae ipsius verbis Baptista Todeschius vir limatissimus nobis reddidit.

VI. Illud quidem sciatis velim, Franciscum Parisium, qui Scipioni Burghesio est ab epistolis, tandem aliquando quem de optimo scriba confecerat librum, eum tribus voluminibus digestum protulisse; quo ego libro nihil arbitror in suo genere fieri potuisse perfectius. Itaque et ipsi sum pridem per litteras gratulatus, et vobis, quod eum in vestrum numerum me suasore

allegeritis, nunc quam maxime gratulor. Quod si me successu invitati paullo jam fidentius auditis, Emmanuelem quoque Fabrum, Mexicanum hominem, sine cunctatione allegetis. Is enim quum Didaci Abadii collegae nostri, Mexicani item hominis, qui superiore anno est Bononiae mortuus, vitam latino non ineleganti commentariolo complexus esset, idque cum heroicis ejusdem Abadii de Deo, Deoque homine carminibus divulgasset, bina libri exempla ad me proxime perferenda curavit, quorum unum mihi haberem, alterum vobis suo nomine traderem. Huic ego statim sic rescribendum (nam et ipse humanissime scripserat) existimavi ....

VII. Dominicus Todeschinius ad me scripsit, Georgium Terpinium, qui Friburgi Jus Naturale profitetur, et Antonium Musnigium publicae valetudini tuendae apud Forojulienses praefectum ac medicorum, qui Gradiscae et Goritiae sunt, magistrum, in hanc societatem nomen dare vehementer velle, si per vos liceat. At de horum doctrina comperti nihil habemus, doctos quidem esse existimare facile possumus. Judicium igitur vestrum esto vestrum arbitrium. Ego tamen Todeschinio suaseram, ut aliquid ab eis speciminis loco postularet. An persuaserim, nescio.

VIII. Hactenus scripseram, quum collega noster Placonides Orationem mihi dedit patria lingua exaratam, qua Laurentius Caleppius, qui Josepho Garampio pontificio apud Augustum legato est ab latere, Mariam Theresiam Caesarum filiam, uxorem, matrem, ingenti orbis terrarum luctu nuper ereptam nostrae gentis nomine Viennae Vindelicorum laudavit. Quae tota oratio hoc habet praecipuum argumentum, ut ostendat, reginam nostram,

vel potius matrem (hujus enim nominis suavitate maxime delectamur) cum caeteris virtutibus, tum in primis vitae innocentia et consiliorum magnitudine hominum juvandorum studio praestitisse. Nihil his laudibus nec magnificentius, nec verius. Ipsum porro stili genus id esse reor, quod tempori ac materiae, et gravitate dictorum et dictionis nobilitate ac beata quadam copia praeclare respondeat. Magni ingenii profecto fuit, Sodales, M. Theresiae merita oratione exaequare. Quamobrem vos rogo ipsius etiam Placonidis verbis, ut Laurentium Caleppium vestrae approbationis testimonio exornetis.

IX. Jam vero audite, si libet, Montii nostri haud antiquum poematium, quod *Solitudinem* inscripsit, ubi multa ex rerum naturalium scientia, quae Jacquierius in Conventu Arcadico longa oratione persequutus fuerat, scitissime perstrinxit. Quod utinam germanico quodam gallicove colore totam poesim non infuscasset, aut certe cum Etruscae elegantiae studiosior fuisset (sunt enim quidam loquendi modi, qui peregrini magis videantur, quam nostri) tum etiam versus majore cura elaborasset, et quasi tornasset! jacit tamen multos igniculos ingenii, et felicissima interdum mentis concitatione provehitur. Dum lego, quaeso, diligenter attendite.

X.

AN. MDCCLXXXII. IX. CAL. JUNIAS

BIAGIATO . PRAESIDE

MENTORE . FLAVIANO . CENSORIBUS

I. Praeclarum est illud, Sodales, M. Tullii dictum loquaci stultitiae praestare indisertam prudentiam. Id ego sequutus, constitui hodierna die inania illa otiosarum aurium blandimenta, quae in principiis dicendi assumi solent, omnino repudiare, quaeque interea, dum intercapedo huc conveniendi fuit, in sodalitate nostra acta sunt, ea ita ut acta sunt, sine fuco ornatuque verborum apud vos narrando percensere.

II. Atque ut hinc statim incipiam, Carolus Scaevarlius germanus priorem partem ad nos misit eorum commentariorum, ex quibus ipse Oeniponti Theologiam tradit, quae pertinet ad controversias. Sic autem hi sunt tributi, ut errores primum refellant eorum, qui negant esse Deum, tum eorum, qui esse quidem concedunt, sed nec rebus humanis moderari, nec quidquam agere affirmant quieto beatoque aevo fruentem; deinde illorum qui naturae omnia ductu et quasi imperio fieri, ab eaque demum jus aequumque fluxisse volunt; denique eorum quibus persuasum est, nondum coelo demissum esse, qui humanum genus ab Orci faucibus liberet; postremo illorum, quos Mahumettana infecit superstitio. Jam si quanti opus faciam, quaeritis, ego vero non minimi: ordo perspicuus, res bene distinctae beneque explanatae, satis doctrinae, argumenta firma et adstricta, brevitas opportuna, latinitas quidem quae esse theologorum solet. Verum hactenus.

III. Ab Anna Paltrineria carmen accepimus in nuptias Aloysii Bertii, qui tum Mantuae praeturam gerebat, et Mariae Molinariae Viennensis foeminae. Quae quidem nuptiae quum auspicem primo habuissent M. Theresiam, eaque postea esset extincta, et ipsi Filius successisset, uberem materiam poetriae praebuerunt, quaeque gratam imaginum reciperet varietatem. Itaque versus insunt cum pleni, tum grandes, color ejusmodi, qui ab eo, quo Frugonii sunt lita poemata, non procul abhorreat. Intelligas mulierem liberius paullo quam soleat, ingenio velificatam suo: quacum tamen altera mulier acriter videtur de hujus laudis principatu contendere. Ea est Paulina Suardia Grismunda Bergomas, quae Mariam Carolinam Sardorum regis filiam, quum haec Antonio Saxoniae Principi nuptura in Germaniam iret, celebravit, idque carmen, sane perelegans, ad nos perferendum curavit, ex quo sodalitatis Censores de ejus facultate judicarent. Qui quidem cooptationis honorem ipsi adjudicarunt. Paulina vero, humanissimis litteris ad me datis, gratias universae sodalitati egit maximas.

IV. Et quoniam de Corinnis, et Cynthiis diximus, Alcaeos etiam et Anacreontes memoremus. Franciscus Dulcius Viscovichius Illyricus, Cunichii et Zamagnae Homeri interpretum, ut puto, civis, cujus praecipuum studium est in bellis regibusque latino lyrico versu exsequendis, quum esset Viennae Vindelicorum, cognovissetque ab socio nostro Alcesimarcho, praestantissimo juvene, quaedam ex ejus lyricis mirifice mihi esse probata, ultro ad me scripsit, carmenque adjecit ad Stanislaum Augustum Sarmatorum regem. Quo ego perlecto,

vim spiritumque admiratus, qualem non temere quivis afferat, ita respondi, ut me sibi vestram gratiam vestrique testimonii ornamenta conciliaturum pollicerer. Quod magno ejus merito quum receperim, vestrum est, Sodales, curare, ne frustra receperim. Sed Italiam redeamus.

V. Antonium Melonium Ferrariensem ecquis vestrum ignorat? At ille se ignotum vobis putabat, quum epigramma quoddam nuptiale, sane hujus, quo vates inflammantur, furoris plenum necesse habuit mittere quo in vestrum numerum adsciseeretur. Quasi vero non in medio essent complura ejus tum soluta, tum vincta numeris scripta, et maxime quae in sua illa Italorum Auctorum catalecta ipse conjecit. Nolite igitur dubitare, quin aut ego confestim huic vestro nomine satisfecerim, aut hic vestram in se voluntatem, eo quo par erat, officio sit persequutus.

VI. Carolus quoque Rosminius civis noster, lectissimus adolescens, nobis est usus morigeris, nec immerito. Hac enim tam molli atque inerti juventute ipse aut solus aut paene solus, litteris operam dat, nec committit, ut aliis, quam quibus in Helicone monte domus est, puellis omne tempus florentissimae aetatis addixisse videatur. Qui si tamen quum versiculos facit, approbante quidem mirum in modum natura, saepe ad amores delabitur; haud eo id facit, quo his deliciis plus aequo studeat, sed quia veterum poetarum, in primis Horatii et Petrarchae, quos in sinu fert, suavitatem ipsa argumenti similitudine melius se imitari posse confidit. Ac vellem equidem ceteri adolescentes hoc pacto amarent. Crebriores profecto coetus frequentioresque haberemus.

VII. Sed nolo orationem, tanquam ad scopulum, sic ad querelam detrudere peracerbam; nolo externorum hominum in nostram societatem flagrantissimum studium commemorare, domesticorum insectari fastidium, pigritiam animique dissolutionem. Valeant isti, qui nobilitatem in otio ponunt; inter mulierum cathedras viros musarum consuetudini deditos temulenti contemnant, nihil sapiant impune, denique, quo miserius nihil est, his tantis voluptatibus, quantae e studiis capiuntur, se carere non sentiant. Nos, Sodales, contenti simus nostra virtute, quicquid iniqui in nos jaciant, ne laboremus; et si quidem viri sumus, partam a majoribus gloriam vel amplificemus ipsi, vel certe omni ratione tueamur.

VIII. Jam vero quis unquam ne per somnium quidem cogitasset, hujus theatri, cujus etsi fortasse serius quam cultissimae civitatis ratio posceret, aliquando tamen fundamenta poni vidimus, aedificandi consilium, novum societati nostrae sodalem adjuncturum fuisse? Nam quum Josephus, cui a Via nomen est, patricius Bononiensis, summo genere eximiaque dignitate vir, qui Tridenti commoratur, pro amicitia, quae sibi cum aliquot nostris hominibus est, theatri exemplum ea caveae forma, quae esse ad spectandum aptissima existimatur, sua manu descriptum miserit, ejusque judicii rationes non satis ille quidem dilucide, sed tamen ita exposuerit, ut appareat mathematicarum rerum scientiam sibi nequaquam deesse; cum ejus amicorum precibus atque adeo ipsius cupiditati obsequendi, tum vero grati animi declarandi gratia, simul quod res ipsa aliqua laude digna visa est, haud aegre illum nostro Collegio cohonestavimus, Clemente Baronio praesertim non

repugnante: cujus doctissimas in hanc sententiam ad me litteras eo diligentius audiatis velim, quod de optima theatri constructione verissimam habeat apertissimamque disputationem, et quae una multorum schemata commentationesque facile vincat. Ac Viaeus quidem magnopere mihi mandavit, ut vobis demonstrarem, se, quoad vita suppetet, beneficii vestri memoriam nunquam esse depositurum.

IX. Reliquum est, Sodales, ut sciatis duos adolescentes, qui eundem hunc honorem petebant, a me repulsam tulisse: quorum alter, qui ne nomen quidem suum edere auderet, nescio quid nugarum per internuncium obtruserat; alter, et is quidem haud paullo melior saniorque, nomine Jacobus Chittalius, domo Bonfadino, quod est oppidum in Carnis, libellum de jure sacerdotali miserat latine scriptum, quem rejiciendum censui ob eam rem, quod scholastici cujusdam commentarioli speciem haberet; nos autem sodalitiis legibus vetamur, quae lyceum et juvenilem disciplinam oleant, ea rata ducere, propterea quod ex iis, qua quisque sit mente, quo acumine, qua doctrina, haud ita facile dijudicari potest. Et tamen hominis voluntatem diligentiamque amantissimis verbis complexus sum, eumque ut ex suo ipse ingenio aliquid eliciat et proferat, ac suo sibi marte, ut dicitur, laudem quaerat, pro virili parte excitavi: nostrum officium, si id fecerit, haudquaquam desideraturum. Haec habebam, Sodales, quae dicerem: nihil jam vos moror.

XI.

AN. MDCCLXXXII. VI. CAL. JANUARIAS
EROTICO . PRAESIDE
MENTORE . FLAVIANO . CENSORIBUS

I. Nihil quicquam nec domesticae, neque externae rei, quod auditu magnopere dignum sit, hodie ad vos affero, Sodales ornatissimi; fuit enim his mensibus incredibilis quaedam raritas tum novorum librorum, qui sodalium liberalitate commoare ad nos solent, tum eorum hominum, qui societatem nostram ad amplificandam ingenii famam sibi expetunt. Quid enim vobis dicam unum *Josephum Criphostorum*, venetum hominem, fortasse doctum, sed de cujus ingenio nihil unquam ne rumore quidem nuntio accepimus, misisse ad nos, qui ejus verbis id honoris peteret? Cui quidem quum respondissem, neminem, cujus non apud nos doctrinam vel fama celebrasset, vel scripta ostendissent, a nobis solere cooptari; nihil mihi postea ab illo aut renuntiatum, aut allatum est.

II. Jam vero de libris par fortuna, eademque ratio. Nam *Fuscus Montanus* latinum opusculum misit rixarum, atque adeo inficetiarum plenum in *Scaevinum* collegam suum; quod neque argumenti utilitate, quum in quibusdam theologorum salebris potius, quam quaestionibus versetur, neque perspicuitate sermonis, quum genere dicendi impeditissimo quasi obvolvatur, neque dictorum urbanitate, quum adversarium petulanter et tamen frigide insectetur, cuiquam qui bonas horas bene collocare velit, legendum puto. Alteram oratione similem,

judicio dissimilem commentationem accepimus ab Jacobo Chittalio, qua hic demonstrat, sacra quae quotidie a sacerdotibus leguntur canunturque, cum vatum hebraeorum, tum Apostolorum Patrumque scripta meliorem et delectum et ordinem desiderare. Hac ille tam parva mercede societatis sibi nostrae ornamenta comparavit.

III. Numquid nunc aliud expectatis, Sodales? nostrarum quidem rerum, quod addam, nihil est; sed manete quaeso paullisper, dum Eroticus noster (1) amores quosdam suos dulcissimis versibus in sinu vestro deponit; quorum mollitie capti, ne plus aequo voluptate diffluatis, ego quoque nonnullos meos subjiciam sane asperos et amaros, non amores dico sed versus. Hoc agite ergo, *amant alterna Camoenae.*

(1) Carolus Rosminius, qui plura deinde edidit, sed inprimis P. Ovidii vitam absolutissime scriptam.

INSCRIPTIONES

ANTONIO CAESARI SUO S. D.

Crebris tuis permotus flagitationibus tandem ad te mitto Inscriptiones, quas vel aliorum rogatu, vel mea sponte adhuc composuerim, in unum collectas. Quae tamen nec omnes quibus debuerant locis sunt propositae, nec fortasse jam proponentur. Ego autem, mi Antoni, dum singulas recenseo, nullam non propemodum aliam feci, ne iis quidem exceptis, quae hodie sunt in propatulo. An vero in melius mutarim, nescio; illud scio, et genus hoc scripturae a cetera eloquentia sejunctum propria quadam, ut Morcellius divine ostendit, eaque perdifficili ratione contineri, et me in eo minime omnium versatum esse. Vale. Kal. Juliis MDCCXCIII.

1. *Tridenti ad S. Mariae Majoris.*

QVISQVIS . CHRISTVM · OPT· MAX· RITE · CO
LIS · PRAECIPVA · CAERIMONIA · HAEC · PE
NETRALIA · INGREDITOR · HIC · CONCILIVM
MAGNVM · LEGITIMVM · QVOD · IN · TEMPLO
MAXIMO · AGITARI · PRIMO · COEPTVM · ERAT
NOVEM · CONVENTIBVS · PER · ANNOS · MD
LXII · ET · LXIII · HABITIS · ABSOLVTVM · EST
PROFLIGATA · HAERETICORVM · PERVERSI
TAS · RECTA · PROFESSIO · DISCIPLINAQVE
STABILITA · REDDITA · ORBI · CHRISTIANO
PAX · PIO · IV · PONTIFICE · MAXIMO

2. *Ibidem.*

QVAE · OLIM · AEDES · TRIDENTINIS · PATRI
BVS · PATVERAM · QVVM · II · SVMMAS · CHRI
STIANAE · DOCTRINAE · CONTROVERSIAS · DI
IVDICARENT · EADEM · PIVM · VI · PONT· MAX·
SANCTITATEM · LOCI · EX · ITINERE · VENE
RANTEM · LVSTRANTEMQVE · PATRVM · VE
STIGIA · NON · SINE · MAGNO · ANTIQVAE · RE
LIGIONIS · INCREMENTO · EXCEPI · VII · IDVS
MAIAS · ANNO · MDCCLXXXII

3. *Iseriae in tintinnabulis sacrae turris.*

DIEBVS · FESTIS · VIR · OPVS · NE · FACITO
FEMINA · LANAM · NE · TRACTATO · VBI · VOS
ADVOCARIMVS · EXTEMPLO · OMNES · AD
REM · DIVINAM · PVRA · VESTE · PVRISQVE
MANIBVS · CONVENIVNTO · DEI · OPT· MAX·
LAVDES · CELEBRANTO · QVAE · AD · RELI
GIONEM · PERTINENT · DOCENTO · ET · DI
SCVNTO

QVVM · TRISTI · TINNITV · INSONVERIMVS EXEQVIAS · ET · PIACVLARIA · SACRA · FRE QVENTANTO · MORTVORVM · OSSA · LVSTRA LI · AQVA · SPARGVNTO · OLLISQVE · AETER NAM · QVIETEM · PRECANTOR

QVVM · VERE · ATQVE · AESTATE · SIGNVM DEDERIMVS · DEVM · OPT· MAX· ROGANTO VTI · VOLENS · AGROS · ET · FRVGES · DEFEN DAT · NE · GRANDO · TVRBO · AESTVSVE · NO CEANT · NEV · LVPVS · PECORI · INSIDIETVR NEVE · SEGES · FALLACIBVS · HERBIS · ELV DAT · MESSEM · VTIQVE · VVIS · ET · FRVCTI BVS · ANNVS · FLOREAT

VBI · VOS · AD · CONSILIVM · COEGERIMVS SVA · QVISQVE · NEGOTIA · POSTHABENTO AMOREM · ATQVE · ODIVM · DEPONVNTO · IN COMMVNE · CONSVLVNTO · PRIVATA · CONSI LIA · NE · ADMISCENTO · QVAE · HONESTA NON · FVERINT · VTILIA · NE · PVTANTO

4. *Oeniponti.*

HONORI · IOANNIS · SVARTII · DOMO · VINDO BONIA · ADOLESCENTIS · INGENIO · PARITER ATQVE · ANIMO · EXIMII · QVI · DVM · OENI PONTI · SINGVLARI · CVM · LAVDE · PRVDEN TIAE · IVRIS · DAT · OPERAM · ANNO · AETATIS QVINTO · ET · VIGESIMO · EXSTINCTVS · EST CVIVS · FVNVS · VNIVERSVM · DOCTORVM · ET SODALIVM · COLLEGIVM · CELEBRAVIT
CONDISCIPVLI · MOERENTES · POSVERVNT
VALE · IN · PACE · ANIMA · SVAVISSIMA

5. *Viennae Vindelicorum.*

CORPVS · INCOLARVM · EX · ITALIA · TEM
PLVM · AB · IMPERATORE · CAESARE · IOSE
PHO · II · PIO · FELICI · AVG · SIBI · DONO · DA
TVM · HONORI · MAGNAE · MATRIS · DEI · RE
STAVRATIS · AMPLIATISQVE · OPERIBVS · DE
DICAVIT · ANNO · M · DCC · LXXXVI

6. *In oppidulo agri Veronensis, quod a S. Maximo appellatur.*

ANNO · M · DCC · XCI · PRIDIE · NONAS · SEPTEM
BRES · E · VETERI · CVRIAE · TEMPLO · IN
HOC · RECENS · TRANSLATA · SACRA

7. *Ibidem.*

EODEM · ANNO · XIV · KALENDAS · OCTOBRES
TEMPLVM · DEDICAVIT · IOANNES · ANDREAS
AVOGADRIVS · PONTIFEX · VERONENSIVM
OB · CVIVS · REI · MEMORIAM · QVOTANNIS
TERTIVS · SEPTEMBRIS · DIES · DOMINICVS
SOLEMNIS · ESTO

8. *Veronae*

In aede Sodalium Philippianorum ad aram Virginis.

IGNATIVS · BONVCIVS · VERONENSIS · SACERDOS
RELIQVIAS · SACRAS · ANNORVM · LII · SPATIO
AB · SE · RELIGIOSISSIMO · STVDIO · CONQVI
SITAS · OB · DEI · COELITVMQVE · HONOREM
AMPLIFICANDVM · HIC · DEDICAVIT · ANNO
MDCCXCI · IPSE · DECESSIT · KALENDIS · MAIIS
ANNO · MDCCXCIV · EARVM · RELIQVIARVM
MEMORIA · QVOT · ANNIS · PRIMO · SEPTEM
BRIS · DIE · DOMINICO · CELEBRATOR

9. *Roboreti in superiore sacrario aedis maximae ad dextram.*

OSSA · FAMVLAE · CHRISTI · IOANNAE · MA
RIAE · A · CRVCE · QVAE · DIGNA · EST · HABI
TA · DE · CVIVS · SANCTITATE · QVAERERE
TVR · HVC · TRANSLATA · SVNT · E · CINERA
RIO · VIRGINVM · CLARISSARVM · A · D · IV ·
KAL · IAN · MDCCLXXXII · IVBENTE · VIGILIO
PONTIFICE · TRIDENTINORVM

10. *Veronae ad S. Stephani.*

INDVLGENTIA · IOANNIS · BAPTISTAE · ET · HO
RATII · MANFREDIORVM · FRATRVM · QVAM
CELLAM · IN · HONOREM · NICOLAI · SANCTI
PONTIFICIS · MYRENSIS · HEIC · MAIORES · EO
RVM · AEDIFICARANT · EA · QVOD · SVBIE
CTVM · CRYPTAE · LATVS · MOLE · SVA · OB
STRVERET · DIRVTA · EST · REFECTVM · AL
TARE · VETERI · TITVLO · AC · IVRE · FENE
STRAE · IN · CRYPTAM · IMMISSAE · DVAE · EO
QVE · TRANSLATVM · QVOD · IN · ADITV · CEL
LAE · FVERAT · FAMILIAE · SEPVLCRVM · IN
STANTE · VINCENTIO · BERTOLINIO · CVRIO
NE · MAIORE · ANNO · M · DCC · XCII

11. *Litterae publicae Lagarinorum ad Caesarem* (1).

IOSEPHO · SECVNDO · IMPERATORI
PIO · FELICI · AVGVSTO
DECVRIONES · MVNICIPIORVM · LAGARINO

(1) Ad publicas Lagarinorum Litteras adjecta est Epistola Angeli Rosminii, qui tunc erat Praefectus annonae, Michaeli Confortio inscripta, quam et ipsam formarat Vannettius hoc exemplo:

„ Angelus Rosminius Praefectus annonae
„ Michaeli Iosepho Confortio S. D.

RVM · QVOD · MAGNITVDINEM · TVAM · CAE
SAR · AVGVSTE · IN · VNA · CLEMENTIA · POSI
TAM · ESSE · EXISTIMANS · SVMMA · ANNONAE
CARITATE · EXTREMISQVE · REBVS · LIBERA
LISSIMAM · NOSTRVM · OMNIVM · SVSCEPISTI
CVRAM · AC · PERIDONEO · FIDISSIMOQVE
REGIAE · VOLVNTATIS · AD · NOS · MISSO · IN
TERPRETE · ATQVE · ADMINISTRO · MICHAE
LE · IOSEPHO · CONFORTIO · AMANTISSIME
EFFECISTI · VT · MAXIMAM · REI · FRVMEN
TARIAE · INOPIAM · MAXIMA · STATIM · COPIA
CONSEQVERETVR · EOQVE · TAM · CELERI
TAM · OPPORTVNO · SVBSIDIO · NOS · VXORES
LIBEROSQVE · NOSTROS · QVI · FAME · ET · LAN
GVORE · CONFECTI · IN · COMPLEXV · NOSTRO

,, Nihil aeque meminerunt homines, Michael Conforti, vir
,, amplissime, atque ea beneficia, quae eum in maximis ne-
,, cessitatibus, tum a principibus viris acceperunt. Itaque non
,, mirum videri debet, si horum Municipiorum, quae in di-
,, tione Roboretana sunt, civibus nihil antiquius est, quam
,, ut gratissimum illum animum, quod Caesaris Augusti in
,, sustentanda nuper frumentaria eorum inopia maximum ac
,, prope divinum beneficium prosequuntur, Augusto ipsi per
,, litteras officii observantiaeque plenas declarent. Sed quo-
,, niam quidquid Caesar benigne in praesentia fecit, quidquid
,, liberaliter in nostros homines contulit, id, te potissimum
,, oratore ac perfectore, contulit; aequum est, ut eodem te
,, quasi internuntio, quae sint horum hominum in eum studia,
,, quam magna, quam effusa, quae religio obsequii, quanta
,, memoria munificentiae suae, quae etiam opinio de te, quam-
,, que diligens commentatio integritatis tuae, vicissim cogno-
,, scat. Eo libentius igitur talem Epistolam ad te mitto, quod
,, spero, fore, ut et Caesar municipum nostrorum voluntatem
,, pro sua perpetua ac singulari bonitate non aspernetur, (so-
,, let enim beneficientissimus quisque gratos maxime dilige-
,, re) et ut ipse nonnihil laetere, quum (quod paucis omni-
,, no contigit) tanti te in vulgus fieri quanti re vera sis,
,, manifestissimo testimonio intelligas. Vale, vir egregie, et
,, reipublicae ita operam dare perge, ut in ambiguo relin-
,, quas, utrum Caesari, an populo sis carior. Roboreti, V.
,, Kal. Jul. MDCCLXXXIII. "

IAM · IAMQVE · EXSPIRATVRI · ESSE · VIDE
BANTVR · E · TETERRIMIS · ATQVE · INCREDI
BILIBVS · MISERIIS · ET · AERVMNIS · ERIPVI
STI · AD · GENVA · TVA · PROVOLVTI · AC · PRAE
GAVDIO · ANIMIQVE · IMPETV · VIX · LACRY
MAS · CONTINENTES · TANTAS · TIBI · OPTIME
CAESAR · ET · AGIMVS · ET · HABEMVS · GRA
TIAS · QVANTAS · NON · CIVI · NON · PARENTI
ALICVI · SED · PRAESENTI · VELVT · NVMINI
CVIVS · OPE · AB · EXITIO · AD · SALVTEM · A
MORTE · AD · VITAM · REVOCATI · SIMVS · ET
AGI · ET · HABERI · PAR · EST · TE · VERO · VNVM
OMNIVM · BEATISSIMVM · PRAEDICAMVS · QVI
ITA · CVM · SVMMA · FORTITVDINE · SVMMAM
MISERICORDIAM · CONIVNGIS · VT · CONSTI
TVI · SATIS · NON · QVEAT · VTRVM · VEHEMEN
TIVS · PROPTER · ILLAM · TE · HOSTES · ME
TVANT · AN · PROPTER · HANC · SVBIECTAE
TIBI · NATIONES · ARDENTIVS · DILIGANT · AT
QVE · AMENT · SIC · TIBI · OPTIME · CAESAR
TRADITVM · A · MAIORIBVS · IMPERIVM · DEVS
OPT · MAX · LAETIS · PROSPERISQVE · REBVS
MAGIS · AC · MAGIS · IN · DIES · AVGEAT · AT
QVE · FORTVNET · ET · QVAE · VOTA · CONSER
VATI · ABS · TE · POPVLI · CERTATIM · PRO
TE · SVSCIPIVNT · EA · MVLTO · ETIAM · CVMV
LATIVS · AD · EXITVM · PERDVCAT · TEQVE
CVIVS · INCOLVMITATE · OMNIVM · GENTIVM
CONTINETVR · SALVS · PERPETVO · SERVET
INCOLVMEN · VIVE · VALE · VINCE · OPTIME
CAESAR

V · KAL · IVLIAS · MDCCLXXXIII

12. *Roboreti in aede Virginum Salesianarum.*

HONORI

ANGELI · ANTONII · ROSMINII · PATRICIA · NO
BILITATE · DOMO · ROBORETO · FVNCTI · VI
CE · SACRA · PONTIFICIS · TRIDENTINORVM
QVOD · IOANNAE · FVRLONIAE · HORATII · PIZ
ZINII · VXORI · MATERTERAE · SVAE · AD . VIR
GINES · SALESIANAS · INDVCENDAS · AVCTOR
ET . ADIVTOR · FVERIT · COLLEGII · AEDES
EIVS · MORTE · INTERRVPTAS · HAERES · AB
SOLVERIT · OPTIMAM · DISCIPLINAM · RETI
NVERIT · ORNAVERIT · EAEDEM · VIRGINES
PATRONO · ET · MODERATORI · QVI · VIXIT
AN· LXIX · DECESSIT · IV · KAL·IVLIAS · ANNO
MDCCLXXVII

13. *Ibidem.*

MEMORIAE

IOANNAE · FVRLONIAE · NATIONE · GERMA
NAE · QVAE · HORATIO · PIZZINIO · CONIVGE
ORBATA · HOC · COLLEGIVM · IMPENSA · SVA
CONDIDIT · EADEMQVE · ILLVSTRAVIT · CON
TVBERNIO · ET · MORTE · VIXIT · AN· LVIII
M· IX · OBIIT · XVIII · KAL· OCT· AN· M · DCC
LII · VIRGINES · SALESIANAE · VIDVAE · SAN
CTISSIMAE · ET · MATRI · PLVS · A · SE · ME
RITAE

14. *Sacci in aede maxima.*

CASPARI · ANTONIO · BARONIO · CAVALCABO
VIO · QVI · IN · INCERTO · RELIQVIT · VTRVM
PICTOR · AN · VIR · MELIOR · FVERIT · QVOD
EGREGIIS · OPERIBVS · PATRIAM · NOBILITA

RIT · TEMPLVM · EXCOLVERIT · ORDO · SAC
CENSIS · MVNICIPI · SVO · BENE · MERENTI
POSVIT · VIXIT · ANNOS · LXXVII · M· IX · D· III
OBIIT · IV · IDVS · OCT· AN· M· DCC · LIX

15. *In Suburbano Vannettiorum sacello.*

IOSEPHO · VALERIANO · PETRI · F· VANNET
TIO · EQVESTRI · NOBILITATE · TER · IIII · VI
RO · ROBORETANO · CONSTITVTORI · SODALI
TATIS · LENTORVM · POETAE · PHILOLOGO
MVSICO · QVI · PATRIAE · DECORI · SEMPER
DVBIIS · TEMPORIBVS · ETIAM · PRAESIDIO
FVIT · BLANCHA · LAVRA · SAIBANTIA · MARI
TO · INCOMPARABILI · CVM · QVO · VIXIT · AN
NOS · X · SINE · VLLA · QVERELA · ET · CLE
MENTINVS · PATRI · PIENTISSIMO · CVM · DE
SIDERIO · POSVERVNT · VIXIT · AN· XLV · M· III
H· XII · ELATVS · EST · XVII · KAL· SEXTILES
ANNO · MDCCLXIV · LVGENTIBVS · OMNIBVS
BONIS

16. *Sub imagine adolescentuli.*

CAIETANVS · BARONIVS · PVER · OPTIMVS · ET
REVERENTISSIMVS · QVI · IN · LVDO · LITTE
RARIO · PRIMAS · SEMPER · TVLIT · CRVDELI
MORBO · HEV · PERIIT · DECENNIS · ET · MEN
SIVM · FERE · SEPTEM · KALENDIS · DECEM
BRIBVS · ANNO · M · DCC · LXXXV · RELICTIS
AD · LVCTVM · PARENTIBVS · AVE · FILI · PRI
MIGENE · MARGARITVM . NOSTRVM

17. *In Nosocomio Roboretano.*

MEMORIAE

ADAMI · FRANCISCI · F· PETRONII · COMITIS

VIRI · SINGVLARIS · EXEMPLI · QVI · VNIVER
SAM · SVBSTANTIAM · SVAM · LIBERALI · AV
CTAM · PARSIMONIA · IN · SVBSIDIVM · VRBA
NORVM · PAVPERVM · ET · QVORVM · AFFECTA
CORPORA · HOC · VALETVDINARIO · RECIPE
RENTVR · TESTAMENTO · LEGAVIT · COHAERE
DES · PATRI · OPTIMO · MISERATORI · INFELI
CITATIS · HVMANAE · AN · M · DCC · LXXXVIII

18. *Sub imagine Josephi Zolae Theologi clarissimi, quam ejus discipuli coelo exprimendam curarunt.*

MACTE · HOC · HONORE · IOSEPHE · ZOLA · BRI
XIAE · DECVS · INGENS · DIVINARVM · LITTE
RARVM · LVMEN · NOBIS · OFFICIO · RECTOR
ANIMO · PARENS
ALVMNI · COLLEGII · GERM · ET · HVNG · QVOD
EST · TICINI · XIV · KAL · APR · AN · M · DCC · XCIII

19. *In Valle Assiae.*

VIATOR · QVOD · DICO · PVLLVM · EST · VA
LENTINVS · NORILIVS · HEIC · EGO · SACERDOS
HEV · PER · VIM · VITA · SPOLIATVS · SVM · IDIB
IVLIIS · AN · M · DCC · LXXXIII · TE · ROGO
PRAETERIENS · DICAS · VALE · IN · PACE

20. *Prope Templum Cardumensium.*

A XP. Ω
QVIETI
ANNAE · TARVISANAE · DOMO · MEDIOLANO
MVLIERI · INTEGRAE · FIDEI · ET · VIDVAE · RE
LIGIOSISSIMAE · QVAE · DECESSIT · IN · VILLA
OPPVLANA · IV · NON · IVLIAS · AN · M · DCC
LXXXV · BERNARDINVS · SACERDOS · MATRI

OPTIMAE · CVM · LACRYMIS · P· COLLEGAE
PLEBSQVE · CARDVMENSIS · QVOTIES · HAC
COMMEATIS · MEMORES · ESTOTE · PIORVM
MANIVM

21. *In Templo Villensium.*

P. M.

HIC · VBI · VOLVIT · SITVS · EST
LACTANTIVS · FRANCISCI · F· FIRMIANVS · CO
MES · AB · ADMISSIONE · ET · INTIMIS · CONSI
LIIS · IMPERATORIS · IOSEPHI · AVG· PRAEPO
SITVS · DOMVS · PRINCIPIS · SALISBVRGEN
SIVM · ERVDITVS · LATINIS · ET · GRAECIS
LITTERIS · AC · LIBERALIVM · DISCIPLINARVM
SCIENTISSIMVS · PRAECLARVS · ETIAM · DELI
NEANDI · ET · FINGENDI · ARTIFEX · IDEMQVE
EXEMPLAR · ANTIQVAE · VIRTVTIS · ET · RE
LIGIONIS · VIXIT · ANNOS · LXXIIII · DECESSIT
PRAESENTISSIMO · ANIMO · IN · NOGARENSI
LODRONIORVM · PRID· NON· MARTIAS · ANNO
M · DCC · LXXXVI · INTER · GENERI · ET · FI
LIAE · LACRYMAS · QVVM · AMORIS · VALETV
DINESQVE · CAVSSA · IN · SINVM · ET · COMPLE
XVM · EORVM · VENISSET · LEOPOLDVS · ET
ERNESTVS · FILII · PATRI · RARISSIMO · CVM
DOLORE . FECERVNT · AVE · ET · VALE · IN
PACE

LOCVS · DATVS · AB · GENTE · LODRONIA

22. *In Cinerario Licinensium apud Roboretum.*

CINERES
IOANNIS · IACOBI · COBELLII · DOMO · LICIANA
CIVIS . ROBORETANI

SACERDOTIS · PIETATE · ET · DOCTRINA · PRO
BATISSIMI
VIXIT · ANNOS . . . . .
DECESSIT · XVI · KAL· MAIAS
ANNO · M · DCC · XCI
HIC · MISERTVS · NATALIS · PAGI · QVOD · OB
CVRIAE · LONGINQVITATEM · REBVS · DIVINIS
MINVS · ENVTRIRETVR · EARVM · CVRAM · VL
TRO · SVSCEPIT · GESSITQVE · GRATVITO · AN
NOS . FERME · XXX · NEC · LINGVAE · PARCENS
NEC · OPERAE · VT · SI · MVNVS · SVVM · ES
SET · NEQVE · EO · CONTENTVS · PECVNIAM
EX · PARSIMONIA · SVA · VIVVS · PVBLICE · DE
DIT · AD · ALENDVM · SACRORVM · ADMINI
STRVM · QVI · DEINCEPS · SVO · IVRE · AGE
RET · VETERI · CVRIONI · ACRITER · OBNITEN
TI · VII · ANNIS · RESTITIT · BIDVO · ANTE
QVAM · OBIRET · SVPERATVM · COGNOVIT
LAETATVS · NON · VICTORIA · SED · BONO · PV
BLICO
COBELLII · FRATRES
CLEMENS · FELIX · IACOBVS
PATRVO · OPTIME · MERITO
FECERVNT

23. *In regione Veronensi.*

MARCVS · TITINIVS · VERONENSIS · SACERDOS
LVCIAE · SORORIS · MEAE · DVLCISSIMAE · CI
NERIBVS · E · VETERI · TVMVLO · ERVTIS
HEIC · MELIOREM · SEDEM · PARAVI · REVIVI
SCATIS · FELICES

24. *In templo Castronovensium.*

MEMORIAE
DOMINICI · GATTERII · SIRMIONE
CVRIONI · CASTRONOVENSIVM
VIXIT · ANNOS · LXXXIV · OBIIT · XIV · KAL · IV
LIAS · ANNO · M · DCC · XCIII · QVVM · SACRIS
PRAEFVISSET · ANNOS · XLIV · PRVDENS · LI
BERALIS · PACEM · QVAM · MAXIME · RETINVIT
MALESVADAE · PAVPERTATI · OCCVRRIT · DEI
CVLTVM · ADSCITIS · QVINQVE · PRIVILEGIIS
ET · CAERIMONIIS · SANCTISSIMIS · FOVIT
OCVLIS · CAPTVS · LECTIONEM · ASSIDVAM
ASSIDVIS · PRECIBVS · COMMVTAVIT · PASTO
RIS · VOCEM · NE · DECREPITVS · QVIDEM · O
VICVLAS · SVAS · DESIDERARE · PASSVS · EST

25. *In Agro Veronensi.*

HEV · PROFANO · LOCO · IACETIS
INFANTVLAE · BIS · INFELICES
QVAS · SVBINDE · VTRASQVE
IPSA · IN · ALVO
CRVDELIS · MORS · OCCVPAVIT
EHEV
NON · LICVISSE · VOBIS · PAVLVLA · AQVA
BEATORVM · AEVO · POTIRI
PATER · VTINAM · NE · PATER
P

26. *In tabella praefixa januae ejusdem aedis.*

ATER · DIES · PARENTALIVM
IMPERTAORI · CAESARI · IOSEPHO · FRANCI
SCI · CAESARIS · F · KAROLI · CAESARIS · N · CI
VES · INCOLAEQVE · QVO · DECET · MOERORE

HVC · ADSITIS · QVIETAM · APVD · CAELESTES SEDEM · BEATVMQVE · AEVVM · RITE · EXPE TATIS · QVI · VT · VOS · QVAM · BEATISSIMOS FACERET · NEQVE · BELLO · NEQVE · PACE VLLAM · SIBI · QVIETEM · INDVLSIT · VIXIT · IV STITIAE · EXEMPLAR · EXCESSIT · CONSTAN TIAE · DVBIVM · ERECTIOR · DVX · AN · PHILO SOPHVS · RERVM · POTENTIOR · AN · SVI ····

27. *In tabella ejusdem rei gratia proposita apud plateam aedis maximae.*

AVE

REGVM · FILIA · VXOR · EADEMQVE · FVTVRA MATER · ET · VOS · AVETE · DIVINI · ADOLESCEN TES · ITE · BONO · OMINE · QVO · VOS · AMOR VOCAT · ET · DECVS · O · NOSTRARVM · SPES RERVM · ARTIVMQVE · ET · GENTIVM · MAGNO MONSTRANTE · PATRE · PRAESIDIVM

FRANCISCVS · FESTVS · PHARMACOPOLA

28. *In tabella praefixa januae Templi Iserientium.*

IVSSV

PETRI · VIGILII · PONTIFICIS · ET · PRINCIPIS TRID· DOMINI · NOSTRI · INDVLGENTISSIMI ISERIENSES · IVSTA · FACIMVS · IMPERATORI CAESARI · LEOPOLDO · II · PACIFICO · HEV ACERBO · FATO · CONCESSIT · IN · IPSO · ARTI CVLO · MAXIMARVM · RERVM · COMPONENDO ADHVC · REGNO · ET · SEDANDIS · LATE · MO TIBVS · INTENTVS · CVI · PAREM · VEL · BONI TATE · VEL · SAPIENTIA · FRVSTRA · REQVI RERET · ORBIS · TERRARVM · NISI · LIBEROS RELIQVISSET

29. *In tabella ibidem loci proposita.*

IOANNI · PETRO · MVRATORIO
BONO · ET · DIVTVRNO · VILLICO · CHRISTI
QVI · HANC · EIVS · VINEAE · PARTICVLAM
COLVIT · ANNOS · XLV · ALVMNI · MOEREN
TISSIMI · PIACVLARIBVS · HOSTIIS · CAELE
STE · GAVDIVM · EXPETIMVS

30. *In Sacrario Templi Bodolonensium haud procul Verona.*

NICOLAVS · ORMANETVS
DOMO · VERONA · CVRIO · MAIOR · BODOLO
NENSIVM · ANTISTES · PATAVINORVM · QVVM
EVM · REGINALDVS · POLVS · PVRPVRATVS
SECVM · IN · BRITANNIAM · ADDVXISSET · SVM
MA · FIDE · AD · EMENDANDAS · SCHOLAS · DI
GNITATEMQVE · SACERDOTII · REVOCANDAM
QVADRIENNIVM · INCVBVIT · CONCILIO · PA
TRVM · TRIDENTINORVM · INTERFVIT · GRA
VISSIMAS · LITES · COMPOSVIT · NAVGERIO
ANTISTITI · VERONENSI · ET · PONTIFICIIS · LE
GATIS · VTILITATES · DE · SE · MAXIMAS · PRAE
BVIT · IPSE · A · PATRIBVS · LEGATVS · AD · DV
CEM · BAVARIAE · SVASVM · NE · DOMINICA
MYSTERIA · SVB · VTRAQVE · SPECIE · AMPLIVS
PETERET · PERSVASIT · DEMANDATA · SIBI · A
KAROLO · SANCTO · ANTISTITE · MEDIOLA
NENSIVM · VICE · SVA · EI · DISCIPLINAE · QVAE
AB · ILLO · POSTEA · EXAEDIFICATA · EST · FVN
DAMENTA · IECIT · PROVINCIALI · CONVENTV
INITO · EDITAQVE · FORMVLA · SACRORVM
ELEMENTORVM · AD · PATAVINAM · SEDEM
PII · SANCTI · PONTIFICIS · MAX · HOC · NOMI

NE · QVINTI · SVFFRAGIO · EVECTVS · MOX
GREGORII · TERTIIDECIMI · VERBIS · APVD
PHILIPPVM · SECVNDVM · HISPANIARVM · RE
GEM · LEGATIONIS · MVNVS · OBIIT · EXIMIA
VIR · INNOCENTIA · ET · FLAGRANTISSIMO · IN
REM · CHRISTIANAM · STVDIO · IDEMQVE · AD
DIVINAS · LITTERAS · SOLERS · PRVDENS · AD
CONSILIA, · AD · GERENDAS · RES · EFFICAX · IN
INCERTO · RELIQVIT · VTRVM · DOCTRINA · AN
EXEMPLO · MAGIS · PROFVERIT · EXCESSIT
A · D · XV · KAL · FEBR · ANNO · MDLXXVII
QVVM · PATAVINAM · ECCLESIAM · ADMINI
STRASSET · ANNOS · VII · BODOLONENSES
TANTI · DECORIS · MEMORIAM · VOLVERVNT
EXSTARE

51. *In Sacrario Templi Iseriensium.*

IOANNES · PETRVS · MVRATORIVS
DOMO · CAVALESIO
CVRIO · MAIOR · ISERIENSIVM · CREDITAE
SIBI · ECCLESIAE · IVRA · SI · MINVS · PROSPE
RE · AT · STVDIOSE · ET · EX · PARTE · ETIAM
SVA · IMPENSA · CONTRA · AEMVLOS · TVITVS
EST · PROVENTVS · SEDVLO · AVXIT · TEM
PLVM · MARMOREO · SVGGESTV · PAVIMENTO
CIRCA · ARAM · MAXIMAM · TESSELLATO · AB
SIDE · INAVRATA · ET · DITIORE · INSTRVMEN
TO · EXCOLVIT · AD · TVRRIS · TINTINNABV
LA · RECONFLANDA · PECVNIAM · CONTVLIT
REPRAESENTAVIT · ET · CERTAM · SVMMAM
IN · ORGANVM · MVSICVM · NOVAMQVE · AE
DICVLAM · CORPORI · CHRISTI · ASSERVANDO
CVI · VT · FESTO · QVOQVE · DIE · PRAETER

SOLEMNEM · LYCHNVM · ALTER · DE · SVO
LVCERET · IN · PERPETVVM · CVRAVIT · LVCV
LENTVM · SACERDOTIVM · CONSTITVIT · VN
DE · BIS · SINGVLIS · HEBDOMADIS · RES · DI
VINA · FIERET · DILVCVLO · IN · GRATIAM · A
GRICOLARVM · PHILIPPEOS · NVMMOS · OCTIN
GENTOS · PVBLICE · ASSIGNAVIT · EX · QVO
RVM · REDITV · POPVLARIVM · AEGROTORVM
INOPIA · SVSTENTARETVR · ATQVE · HAEC
VIVVS · ET · VALENS · LIBRORVM · QVI · PRAE
SERTIM · AD · SACRAS · LITTERAS · PERTINE
RENT · ET · PRETIOSVS · EMPTOR · ET · LE
CTOR · DILIGENS · FVIT · VT · EXIMIA · BIBLIO
THECA · PATRIAM · LOCVPLETARIT · PRISCVS
DOCTRINA · PARITER · ATQVE · VITA · ET
IDEM · LAETO · INGENIO · LIBERTATE · INVI
CTA · OPPIDANA · SED · PLENA · FRVGIS · ORA
TIONE · QVA · IVNIOR · CAELESTEM · DISCI
PLINAM · PER · EXTREMA · QVOQVE · ITALIAE
IVGA · CIRCVMTVLIT · SENECTVTE · CONFE
CTVS · VIGILIAM · SVAM · QVAM · FIDELITER
OBIERAT · ANNOS · QVINQVE · ET · QVADRA
GINTA · ALTERI · TRADIDIT · AC · DVM · PA
TRIVM · SECESSVM · COGITAT · AD · MERCE
DEM · LABORVM · EST · EVOCATVS · VIXIT
ANNOS · QVINQVE · ET · OCTOGINTA · MEN
SES · TRES · DIES · SEX · ACQVIEVIT · VII
KAL · SEPTEMBRES · ANNO · M · DCC · XCII
ATQVE · EI · SEPVLCRO · QVOD · CVRIONIBVS
IPSE · FECERAT · PRIMVS · ILLATVS · EST
SATIS · FELIX · QVOD · ANTE · SVPREMVM
DIEM · TRIDENTINI · PONTIFICIS · BENEFI
CIO · RESTITVTA · VIDIT · QVAE · IPSE

FRVSTRA · ASSERVERAT · POPVLVS · ISERIEN
SIS · TESTATAS · HOC · TITVLO · VOLVIT
OPTIMI · PARENTIS · LAVDES · CVIVS · ER
GA · SE · MERITA · SEMPER · CORDE · RECO
LET · SVO

32. *Subscriptum arcui temporario ad pontem urbis.*

MARIAE · ALOYSIAE
KAROLI · HISPANIARVM · REGIS · EO · NOMINE
TERTII · FILIAE · IN · GERMANIAM · AD · COM
PLEXVM · LEOPOLDI · HVNGARIAE · ET · BOE
MIAE · REGIS · MARITI · SVI · SVB · AVSPICATA
NOVI · IMPERII · INITIA · CVM · FLORENTISSI
MA · SOBOLE · EX · ETRVRIA · TENDENTI · OR
DO · ET · POPVLVS · ROBORETANVS · TANTIS
HOSPITIBVS · FORTVNATVS · CVNCTA · VIAE
PROSPERA · EFFVSO · STVDIO · PRECATVR
SIS · REGINA · PIETATIS · NOSTRAE · APVD
VIRVM · MEMOR · QVI · ET · IPSE · HIS · SEDI
BVS · FACILIS · HOSPES · SVCCESSIT · SIC · DIV
SECVM · POPVLOS · REGAS · FELIX · FELICES
SIC · PARENTVM · SIMILES · LIBERI · VESTRI
IN · REGNA · ADOLESCANT · ET · REGNATV
ROS · PROCREENT · IN · AEVVM
ANNO · M · DCC · XC · PRIDIE · NONAS · MAIAS
ANGELO · ROSMINIO · CONSVLE

33. *Veronae sub imagine Angelae Balistae.*

ANGELA · CATHARINA · BALISTA
DOMO · BRENTONICO · VIRGO · DEVOTA · EX
COLLEGIO · SORORVM · LATERANENSIVM · CHRI
STI · REDEMPTORIS · QVOD · EST · VERONAE
ACRI · INGENIO · ET · SVAVISSIMIS · MORIBVS

PRAEDITA · QVEM · E · LVSTRALI · LAVACRO
ACCEPIT · CANDOREM · SANCTE · SERVAVIT
SIBI · PERPETVO · CONGRVENS · AT · BONA
SVA · EGREGIE · DISSIMVLANS · QVVM · IN
CAELESTIVM · RERVM · CONTEMPLATIONEM
SAEPISSIME · ABRIPERETVR · NVNQVAM · A
SIMPLICITATE · ET · QVIETE · DISCEDERE
EST · VISA · ITA · AVDIENS · DICTO · FVIT · LE
GITIMIS · IVSSIS · VT · NE · HIS · REPVGNARET
IN · CORPVS · SVVM · MINVS · SAEVIERIT
QVAM · VOLEBAT · EXPERS · LITTERARVM
QVAE · CONFERENDI · GRATIA · AD · RECTO
RES · SVOS · DE · SE · SCRIBERET · RECONDI
TIORIBVS · MVLTIS · PROPE · DIVINITVS · A
SPERSIT · MAGNOS · VISCERVM · DOLORES
QVVM · PATIENTISSIME · PERTVLISSET · MEN
SES · XVII · PRVDENTIVM · VIRGINVM · SEDE
POTITA · EST · VI · IDVS · APRILIS · ANNO · M
DCC · XCIII · ANNOS · NATA · PLVS · MINVS
XXXII · EX · QVIBVS · XI · TOTIDEMQVE · MEN
SES · IN · COENOBIO · EXEGIT · HVIVS · VT · A
CERBA · BONIS · MORS · FVIT · SIC · VITA · ERIT
SEMPER · MEMORABILIS

34. *Veronae ad S. Mariae Antiquae.*

ARCANA · ELIGENTIS · DEI · REVERERE
QVI · LEGIS
FRIDERICVS · FRIGOTVS · CRIMINVM · CAPI
TALIVM · REVS · DIVINI · CONTEMPTOR · NV
MINIS · SVASOR · INCREDVLITATIS · SVAE · VE
RONAE · IN · IPSA · CVSTODIA · DVM · TAE
TRVM · VIRVS · CVM · MAXIME · EVOMERET
HORRENDO · VISV · REPENTE · IMMVTATVS

TRIENNIVM · IEIVNIIS · VIGILIIS · FOEDITATE
LOCI · QVEM · EX · OMNIBVS · ASPERRIMVM
SIBI · DELEGERAT · VLTRO · DE · SE · IPSE
SVPPLICIVM · SVMPSIT · VINCVLORVM · SO
CIIS · EX · SVMMA · CAELESTIVM · RERVM · I
GNORATIONE · SVBTILIS · EARVM · SINE · VL
LIS · LITTERIS · MAGISTER · ET · IDEM · NOR
MA · PIETATIS · EXSTITIT · MAGNAM · LABEM
MAIORE · LAVDE · ABOLEVIT · PHTHISI · IMPLI
CITVS · SVB · ANNVM · AETATIS · XXXVIII · CAR
CEREM · CAELO · MVTAVIT · XVI · KAL · MAIAS
ANNO · M · DCC · XCIII · OBTESTATVS · VT
QVAS · EXVERE · VEL · MORIENS · ABNVISSET
COMPEDES · NE · MORTVO · QVIDEM · DETRA
HERENTVR · EIVS · CADAVER · STVDIO · VI
SENTIVM · ESPOLIANTIVMQVE · VIX · ERE
PTVM · CONDITVM · EST · SEORSVM · AD · MA
RIAE · SANCTAE · COGNOMENTO · ANTIQVAE
POPVLO · LACRIMIS · ET · PRAECONIIS · EFFV
SE · PROSECVTO

55. *In Gymnasio Roboretano.*

ANNO · M · DC · LXII
FERDINANDVS · AVRIFEX · HOC · GYMNASIVM
EGREGIO · MVNIFICENTIAE · EXEMPLO · AB
INCHOATO · EXSTRVXIT · LXXXVI · ANNIS
POST · FRANCISCVS · PIMARTA · RHETORICVM
LVDVM · QVI · OB · FRVCTVVM · INOPIAM · IN
TERMISSVS · FVERAT . RESTITVIT · ANNO · M
DCC · LXXVI · CIVITAS . ROBORETANA · LA
XATIS · AEDIBVS · SACRARIVM : ET · BIBLIO
THECAM · DEDICAVIT

36. *In aedibus Horatii Pizzinii.*

PIVS · VI · PONT· MAX· VIENNA · VRBEM · RE
PETENS · ANNO · CIↃ · DCC · LXXXII · VI · IDVS
MAIAS · IN · HIS · AEDIBVS · PERNOCTAVIT
MAGISTRATVI · OPTIMATIBVS · SACERDOTI
BVSQVE · STANS · DEXTRAM · AD · OSCVLVM
PRAEBVIT · POPVLO · FREQVENTISSIMO · IN
PLAVSVM · GESTIENTI · PACEM · RITE · PRE
CATVS · EST · HORATIVS · ET · IACOBVS · PIZ
ZINII · FRATRES · HOSPITES · FORTVNATISSI
MI · EAM · REM · SAXO · INSCVLPI · IVSSERVNT

37. *Ibidem.*

QVISQVIS · DOMVM · INGREDERIS · HOC · TE
SCIRE · VVLT · NOSTER · HERVS · MARIA · KA
ROLINA · VICTORII · AMIDAEI · REGIS · SAR
DORVM · FILIA · FLOS · PVELLARVM · DELICIA
CHARITVM · QVVM · AD · ANTONIVM · CLEMEN
TEM · SAXONIAE · PRINCIPEM · AVSPICATISSI
MO · CONNVBIO · DEDVCERETVR · ANNO · M
DCC · LXXXI · EX · ANTE · DIEM · III · VSQVE
AD · NONAS · OCTOBRIS · HIC · DIVERSATA
EST · DIXI · QVALIBET · IAM · PERAMBVLA

38. *In atrio Nosocomii Roboretani.*

TE · VOLO · QVI · INGREDERIS · ANNO · MDCVI
HOSPITIVM · VRBANVM · QVOD · AD · ARCIS
RADICES · MINVS · APTO · LOCO · PERDIV · FVE
RAT · AD · THOMAE · SANCTI · TRANS · LENVN
CONSTITVTVM · EST · EX · SVMMA · QVAM · CA
SPAR · KAROLI · F · TELANIVS · AD · ID · LEGA
VERAT · HAC · LEGE · VTI · IN · EO · VBICVM
QVE · FVTVRVM · ESSET · INSIGNE · FAMILIAE

SVAE · PROPONERETVR · VTIQVE · IN · CONIVN
CTA · AEDICVLA · SEMEL · HEBDOMADE · SA
CRVM · PRO · SE · FIERET · NVNC · HOSPITIO
CVM · EA · DELETO · TECTVM · CETERAQVE
PEREGRINIS · INTRA · HOC · VALETVDINA
RIVM · PRAEBERI · COEPTA · SVNT · ANNO · M
DCC · LXXXVIII · TRANSLATIS · HVC · PIORVM
LIBERALITATIBVS · ET · MAXIME · IOSEPHI
FRANCISCI · F · FERRARII · SACERDOTIS · QVI
OMNIA · BONA · SVA · AD · IPSOS · PERTINERE
VOLVIT · I · LICET · ET · HAEC · SI · POTES · I
MITARE

39. *Alae Tridentinorum apud Angelinios.*

ANNO · M · DCC · LXXXIV
KALENDIS · IANVARIIS · IMPERATOR · CAESAR
IOSEPHVS · AVG · QVVM · ITALIAM · QVARTVM
REVISERET · IN · HIS · AEDIBVS · MANSIT · COL
LEGIO · MERCATORVM · ALENSIVM · VECTI
GALIA · NON · INVITVS · LAXAVIT · IACOBVS
ET · IOSEPHVS · ANGELINII · FRATRES · CLE
MENTIAM · MAXIMI · HOSPITIS · HOC · MAR
MORE · SVNT · TESTATI

40. *Trans pontem, qui a Thoma Sancto appellatur.*

OMNIA · IMMVTAT · DIES
QVAE · PRIVATA · NVNC · DOMVS · EST · AEDES
OLIM · FVIT · THOMAE · SANCTI · PONTIFICIS
CANTVARIENSIVM · QVAE · HVIC · SVBVRBIO
NOMEN · DEDIT · ET · EXAVGVRATA · EST
IVSSV · IMPERATORIS · IOSEPHI · AVG · ANNO
M · DCC · LXXXVII · SEPVCLRO · CASTROBAR
CHIORVM · QVOD · FRONTI · HAEREBAT · IN

OPPVLANAM · IPSORVM · VILLAM · CVM · OS
SIBVS · TRANSLATO · EODEMQVE · ANNO · TEM
PLVM · MAGNAE · DEI · MATRIS · QVOD · SO
DALES · KARMELITAE · SERVABANT · SVBLA
TO · EORVM · COLLEGIO · ET · CVRIONE · VI
CANIS · DATO · HVIC · SACRORVM · CAVSSA
ADTRIBVTVM · EST · ORDO · ET · PLEBS · LI
CINIANA · EIVS · REI · MEMORIAM · SAXO · IN
CIDI · CVRAVIT · ANNO · M · DCC · LXXXVIII

41. *Ad dextram ripam fluminis Leni.*

ANNO · M · DCC · LXXXIX
EX · DECRETO · ORDINIS · SEVIRALIVM · ALOY
SIVS · CARPENTARIVS · ET · IACOBVS · FERRA
RIVS · ROTAM · QVAE · AQVARVM · INDVCEN
DARVM · CAVSSA · FACTA · FVERAT · OB · EAS
DEM · PER · TOTAM · VRBEM · DERIVANDAS
DVPLO · MAIOREM · RESTITVI · CVRARVNT
ANGELO · ROSMINIO · CONSVLE

42. *In turri sub insignibus Pontificiis.*

ANNO · M · DCC · XCII
HONORI · PII · VI · PONT · MAX · ORDO · ROBO
RETANVS · IN · MEMORIAM · FORTVNATIS
SIMI · DIEI · V · IDVS · MAIAS · AN · M · DCC
LXXXII · QVO · OMNIS · CIRCVMFVSA · CIVITAS
STATOREM · REI · CHRISTIANAE · IOSEPHI
CAESARIS · HOSPITEM · POST · PERACTAM · IN
HAC · VRBE · NOCTEM · SALVTATVMQVE · IN
TER · MATVTINA · MYSTERIA · AD · AEDEM · MA
XIMAM · NVMEN · AC · ROMAM · IRE · PERGEN
TEM · VOTIS · ATQVE · OMINIBVS · PROSECVTA
EST · ILLACRIMANS · BENIGNITATI · EIVS

43. *Viennae Vindelicorum in aedibus Antonii Collalti comitis.*

ANNO · M · DCC · XCI

FERDINANDVS · REX · NEAPOLITANORVM · EO NOMINE · QVARTVS · INTER · OBLECTAMENTA VRBIS · CAESAREAE · MVSARVM · MEMOR · I TALICARVM · HEIC · MAIESTATE · POSITA GOLDONII · TORQVATVM · TAXVM · VLTRO CVM · REGIA · CONIVGE · MAGNO · FAVORE SPECTAVIT · AGENTIBVS · INGENVIS · ADOLE SCENTVLIS · MAGISTRO · LVDICRI · SCAENAE QVE · ARCHITECTO · IOANNE · VINCENTIO SERAPHINIO · LVCENSI · ANTONIVS · OCTA VIVS · COLLALTVS · LAETISSIMAM · NOCTEM QVAE · FVIT · A · D · VI · KAL · MARTIAS · FASTIS DOMESTICIS · CONSIGNAVIT

44. *Ad limen villae in regione Tridentina.*

MANE · QVI · HVC · INTRAS · ET · SCITO NOSTRVM · HERVM · QVOD · ANTIQVAM · HANC TENET · SVORVM · SEDEM · AVO · PATRIQVE REFERRE · ACCEPTVM · QVI · PER · DIVTVR NAS · ET · DIFFICILLIMAS · LITES · IVS · DO MESTICVM · EXPLICVERVNT · HABES · MAIO RVM · EIVS · DILIGENTIAM · NVNC · COMITA TEM · IPSIVS · EXPERIRE

45. *Apud aliam villam eodem argumento.*

HOSPES

QVOD · AVITO · HOC · PRAEDIOLO · FRVOR QVOD · TE · HIC · EXCIPERE · HAVD · MALIGNE POSSVM · PARENTIBVS · DEBEO · MEIS · QVI · EA CAVSSA · MAGNIS · CONTROVERSIIS · PERFVN

CTI : SVNT · INTROEAS · SANE · ATQVE · OPTI
MOS · ASSERTORES · APVD · ME · RECOLAS
LVCIVS · MANILIVS · PHILANTHROPVS
ANNO · M · DCC · XCII

46. *Iseriae in Vannettii villa.*

QVISQVIS AMAS · BONAS · LITTERAS · BONAS
QVE · ARTES · INGREDITOR · RVDIS · AMBITIO
SVS · SIMVLATOR · RECEDVNTO · ADVENAE
DOMINVM · MANE · NE · INTERPELLANTO · NI
MIA · EST · IACTVRA · AMICIS · SEMPER · VA
CAT · TIBI · DICO · QVI · LEGIS · SEV · MAS
SEV · FEMINA · FVAS

47. *In ejusdem villa suburbana.*

PVLCRE · MVNITA · EST · DOMVS · VNDE · AVARI
TIA · ET · LVXVRIA · PROCVL · ABSVNT
NIHIL · SECESSV · HONESTIVS · SI · TRANQVIL
LITATEM · NON · DESIDIAM · PETAS
NVNQVAM · MAIVS · LVCRVM · TE · FECISSE
PVTATO · QVAM · QVVM · HOSPITI · ATQVE
AMICO · BENE · FECERIS
ALIENA · SILENTIO · ET · FIDE · LENITATE · RE
CTIVS · TVA · CVSTODIES · QVAM · METV

48. *Ibidem in vaporario sub signo Vulcani.*

VVLCANE · PATER
IOVE · SATE · QVI · LEMNVM · FERACEM · QVI
QVE · LIPAREN · AETNAMQVE · FVMIFERAM
COLIS · HIEMEM · SINE · FRAVDE · NOBIS · DE
FENDAS · ET · MALA · CARMINA · BONIS · AE
QVVS · EXVRAS · SIC · TE · NVNQVAM · MARS
FALLAT · SEMPERQVE · TVA · TIBI · VENVS
RIDEAT

49. *In praediis Persicorum, quae sunt in agro Veronensi apud Affium.*

AVETE · COLONI · OPTIMI
VILLA · EGO · RVSTICA · INTER · MVLTAS · DO
MINI · TEMPESTATES · EXSVRGERE · VOBIS
SVM · IVSSA · VETERE · LAXIOR · LOCOQVE
OPPORTVNIOR · HABETE · FELICES · GRATIAM
HERILI · CVRAE · ET · REFERTE · ITA · VOBIS
FAVEANT · BACCHVS · ET · CERES · ITA · MIHI
VVLCANVS · ET · AEOLVS · PARCANT
PETRVS · PERSICVS · COMES
ANNO · M · DCC · XCI

50. *In eandem sententiam loquitur alia villa rustica.*

ANNO · M · DCC · XCII
MARCVS · LAMPRIDIVS · CAVDEX
PARTITIS · INTER · FRATRES · BONIS · TEMPO
RE · SVO · TVRBVLENTISSIMO · ME · INTRA
QVINTVM · MENSEM · EXCITAVIT · ADEO · CO
LONOS · CVRAE · HABVIT · SVOS

51. *Villae Lagarinorum apud Pedersanios.*

ANNO · M · DCC · XCII
HAS · AEDES · ABHINC · ANNOS · NOVEM · ET
NONAGINTA · AB · HOSTE · GALLO · PROPE
EXVSTAS · IOSEPHVS · ET · BAPTISTA · PEDER
ZANII · FRATRES · PECVNIA · NON · A · MAIORI
BVS · ACCEPTA · SED · INGENIO · PARTA · EX
AEDIFICARVNT · INSTRVXERVNT

52. *Super fores Bibliothecae Roboretanae.*

HOSPES
LIBRVM · HINC · NVLLVM · QVAMVIS · PARVVM

NE · EXPORTATO · NEVE · ALTERI · VTENDVM
DATO · NEVE · CAVSSAS · CVR · EXPORTES · V
TENDVMVE · DES · CONFINGITO · HAC · LEGE
SI · QVID · BONI · EST · DISCE · ET · CONDE · TIBI

53. *In Iseriano Vannettii sub effigie catuli*

CALANDRINVS · CATELLVS
CELERIPES · VENVSTVLVS · BLANDVLVS · LAV
RAE · ET · CLEMENTINO · QVINDECIM · ANNOS
SERVII · EORVMQVE · DELICIVM · FVI · QVVM
AETAS · VALETVDINEM · SPECIEM · LVSVS · E
RIPVISSET · AB · CONIVRATIS · TAEDIO · FAMV
LIS · SVPER · VINVM · ET · NOCTVRNAS · EPV
LAS · HEV · TRVCIDATVS · SVM · ID · PRETIVM
EST · APVD · GENVS · HVMANVM · FIDELITATI

54. *Sub effigie Matris.*

HAC · FACIE · ERAT · BLANCA · LAVRA
SAIBANTIA
ANNO · AET · SEXTO · ET · QVINQVAGESIMO
HAEC · PICTVRAM · MVSICEN · POETICEN · FE
LICITER · COLVIT · IN · LITTERARIAS · ITALIAE
SODALITATES · COMPLVRES · EST · ADLECTA
IPSA · SODALITATEM · LENTORVM · CONSTI
TVIT · CVM · VALERIANO · VANNETTIO · MARI
TO · SVO · QVICVM · VIXIT · ANNOS · X · SINE
OFFENSA · EO · VIDVATA · VNICVM · FILIVM
BENE · AC · PVDICE · IN · GREMIO · SVO · EDV
XIT · LANAM · FECIT · REI · RVSTICAE · PRAE
FVIT · DOMVM · SERVAVIT · CONTINENTIAE
FORTITVDINIS · PIETATIS · EXEMPLVM · SEM
PER · EST · HABITA
CLEMENTINVS · F · TESTIMONIVM
MERITO · MATRIS · SVAE
VIVE · DIV · MATER · OPTIMA

55. *Elogium Joannis Volani.*


IOANNES · ADAMI · F· VOLANIVS
DOMO · ROBORETO
SACERDOS

AB · INEVNTE · AETATE · DVABVS · OMNINO REBVS · PARITER · STVDVIT · PIETATI · ET · LIT TERIS · THEOLOGIAM · PRAESERTIM · QVAE AD · MORES · PERTINET · DOMI · ALIQVANDIV DE · SCRIPTO · EXPLICVIT · MVLTA · QVOQVE DE · SACRIS · LEGIBVS · INTERPONENS · A · PE TRO · VIGILIO · THVNNIO · PONTIFICE · TRI DENTINORVM · AD · EARVM · RATIONEM · IN EIVS · VRBIS · LYCEO · TRADENDAM · EVOCA TVS · QVA · ERAT · VERECVNDIA · AEGRE · PA RVIT · ET · ANNO · POST · QVVM · SE · MVNERE ABDICASSET · IN · PATRIAM · REDIIT · NEQVE EO · SECIVS · QVAE · INSTITVTA · DE · IIS · HA BEBAT · ABSOLVIT · DESIGNATOR · SACRORVM AD · TEMPLVM · MAXIMVM · PROBATISSIMA RVM · MAIESTATEM · CAERIMONIARVM · RO MANO · MORE · INDVXIT · RETINVIT · AD · GER MANOS · QVI · ROBORETI · VERSANTVR · DE RELIGIONE · STATIS · DIEBVS · IPSORVM · LIN GVA · VERBA · FECIT · BIBLIOTHECAE · PVBLI CAE · NVLLA · MERCEDE · ITA · PRAEFVIT · VT NEC · ADEVNTIBVS · IN · MORA · VNQVAM · FVE RIT · ET · EAM · IN · GENERA · DIGESSERIT INDICESQVE · CONFECERIT · NON · SOLVM · AC CVRATOS · VERVM · ETIAM · ERVDITOS · POLI TIORIS · HVMANITATIS · MINIME · EXPERS FVIT · QVAM · ETIAM · ADOLESCENTVLVS · A DAMARAT · SINCERISSIMA · QVAEQVE · EXQVI SITO · QVODAM · SENSV · SEQVVTVS · GRAECI

GALLICIQVE · SERMONIS · NOTITIAM · HA
BVIT · LATINE · QVIDEM · EGREGIE · DOCTVS
ET · TVSCE · ELEGANTIS · TAMEN · ORATIONIS
LAVDEM · SCRIBENS · IPSE · VITAVIT · GENE
ROSA · ADMODVM · NEGLIGENTIA · HISTO
RIAE · LITTERARIAE · ET · ANTIQVITATVM
DILIGENTISSIMVS · EARVM · IN · PRIMIS · EX
QVIBVS · DOMESTICA · ILLVSTRARI · POSSE
PVTARET · NIHIL · LEGIT · QVOD · NON · EX
CERPERET · VT · EXISTIMARE · DIFFICILE · SIT
VTRVM · SOLERTIOR · FVERIT · AN · LABORIO
SIOR · SED · RERVM · SVPERARVM · SCIENTIAE
OMNIA · POSTHABVIT · AC · SECVNDVM · LI
BROS · DIVINITVS · CONSCRIPTOS · TOTVM · SE
IN · ANNALIVM · SACRORVM · CONCILIORVM
QVE · COGNITIONE · AC · RITVVM · INVESTI
GATIONE · PETITIS · VNDIQVE · VOLVMINIBVS
COLLOCAVIT · QVO · IN · GENERE · PAREM
ILLI · HAVD · FACILE · PONERES · QVEMQVAM
IN · THEOLOGICIS · ILLECEBRAS · NOVITATIS
HIS · PRAESERTIM · TEMPORIBVS · VERITVS
EST · THOMAE · ET · ESTII · MAGNAM · PARTEM
VESTIGIIS · INSTITIT · SEVERIORIS · QVIDEM
FERE · VT · VITAE · SIC · OPINIONIS · VERVM
QVANTVM · A · LICENTIA · ABHORRVIT · TAN
TVM · RECESSIT · AB · OBNOXIA · CERTIS · AV-
CTORIBVS · QVASI · SVPERSTITIONE · VNDE · ET
CONCERTATIONES · NON · RARO · EXISTVNT
PERTINACES · QVI · QVIDEM · QVVM · ET · IN
GENIO · ESSET · BONO · ET · STVDIO · INCREDI
BILI · TAMEN · PERPETVO · DIFFISVS · EST · IV
DICIO · SVO · QVVMQVE · SAEPE · CONSVLERE
TVR · NON · TEMERE · AB · SILENTIO · DISCES

SIT · NISI · COACTVS · AC · TVM · QVOQVE · HAE
RENTI · SIMILIS · ITAQVE · NEC · EDIDIT · QVID
QVAM · ET · IN · SODALES · LITTERARIOS · RO
BORETANOS · COOPTATVS · CONVENTIBVS
SEMPER · INTERFVIT · RECITAVIT · SEMEL
ID · IPSVM · IN · RELIQVVM · DEPRECANS
INVICTI · CVPIDITATIBVS · ANIMI · PLANE
NIHIL · HABVIT · NEC · POSTERIVS · GLO
RIA · NEC · CARITATE · PRIVS · VT · ALIOS · PRO
VEHI · CELEBRARIQVE · LATERE · IPSE · VEL
LET · FACIEM · CVLTVMQVE · HOMINIS · QVVM
ASPICERES · INNOCENTIAM · EIVS · MANSVETV
DINEM · PVDOREM · AGNOSCERES · ERAT · ENIM
IN · ILLO · SAGACITATE · CONIVNCTA · SIMPLI
CITAS · COMITAS · GRAVITATE · BENIGNIVS
CVNCTA · INTERPRETARI · NEMINEM · CARPE
RE · INDIGNARI · NVNQVAM · INSTITVTI · SVI
NVLLAS · NON · PARTES · EXPLEVIT · INITIA
LES · ADMINISTROS · AD · OMNEM · VETERIS
DISCIPLINAE · HABITVM · INFORMAVIT · SA
CERDOTES · SI · QVI · MINVS · IN · OFFICIO · ES
SENT · NON · MAGIS · VERBIS · QVAM · EXEM
PLO · AD · MELIORA · TRADVXIT · INTERDVM
ET · ABDVCTOS · IN · SECRETVM · OBVIOS · PVE
ROS · CAELESTIS · DOCTRINAE · ELEMENTIS
IMBVIT · FREQVENS · CIRCA · VALETVDINARIA
LVDICRVM · SPECTAVIT · NVLLVM · MISEROS
QVACVMQVE · POTVIT · RATIONE · QVAM · PO
TVIT · OCCVLTISSIME · ADIVVIT · TVRBAM
OTIVM · DEFVGIT · PARCISSIMVS · TEMPORIS
PROFANA · VEL · DESPEXIT · OMNIA · VEL · DE
PLORAVIT · FLOS · DELIBATVS · SVI · COLLE
GII · HABITVS · EST · HIC · ANNVM · FERME

NONVM · ET · TRICESIMVM · AGENS · DVM
OPTIMO · SACERDOTI · ASSIDET · PERFAMI
LIARI · SVO · QVEM · TECTA · ETIAM · TVM
VIS · PESTIFERAE. FEBRIS · TENEBAT · SIMILI
MORBO · CORREPTVS · CVI · PIORVM · FVERAT
LABORVM · SOCIVS · EIDEM · SVPREMI · ET
PROFECTO · BEATISSIMI · ITINERIS · COMES
FVIT · ANTE · PAVCOS · QVAM · DECEDERET
DIES · SCRIPTA · SVA · COMBVRI · IVSSIT · SED
AMICI · OBSTITERVNT · DECESSIT · AVTEM
XI · KAL · MAIAS · ANNO · M · DCC · LXXXVII
RELICTIS · PARENTIBVS · INFELICISSIMIS
QVI · DE · EO · NVLLVM · DOLOREM · ACCEPE
RVNT · NISI · HVNC · MORTEM · EIVS · HAVD
SECVS · AC · SANCTISSIMI · IVVENIS · TOTA
CIVITAS · PRAEDICAVIT · FVNVS · SIC · PROSE
QVVTA · EST · VT · EXSTINCTAM · ANTE · TEM
PVS · CLARISSIMAM · TEMPLI · FACEM · LA
MENTARETVR · ADEO · IN · HONORE · ET · EX
TRA · INVIDIAM · NON · AMBITIOSA · VIRTVS
EST



INDEX

